



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Moralitate, Natvra, Et Effectibvs Actvvm
Svpernatvralivm In Genere Et Fide, Spe, Ac Charitate,
Speciatim**

Coninck, Gilles de

Antverpiae, 1623

Dispytatio XXVIII. De tertio opere misericordiæ externo, scilicet de
correptione fraterna.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79645)

Sed in hoc falluntur, nam vel loquuntur de restitutione ita acceptorum faciendā ante opus, propter quod dantur, expletum: & tunc iure naturæ restituenda sunt danti, non autem danda pauperibus: & simili modo data meretrici pro vltura corporis obtinenda, ante opus expletum restituenda sunt danti; nam hic ea non dedit nisi sub conditione operis explendi, quod tamen altera pars tenetur non explere. vel loquuntur de casu quo opus promissum iam est expletum: & tunc multò verius est (exceptis saltem acquisitis contractu simoniaco) ita recepta nulli esse restituenda. nam aliàs sequeretur, militem in bello quod nouit esse iniustum, teneri restituere omnia stipendia: & meretrix teneretur restituere ea quæ à coniugatis pro corporis vltura accepit, quæ tamen communiter negantur. Ratio est, quia, etsi ipsa promissio aut datio pecuniæ vt opus iniquum fiat, sit iniqua ac iniusta, quatenus inducit ad opus iniustum faciendum, sicut etiam illius promissionis aut dationis acceptatio est iniqua, quatenus fit cum promissione operis iniqui: tamen opere iam expleto nec datio promissi præmij est

iniqua, sed iusta ac debita, quia iam amplius ad nullum peccatum inducit; nec etiam eiusdem acceptio, aut antè dati retentio est iniqua, quia non fit cum vltiore promissione operis iniqui, nec ad aliquid iniquum inducit. Et simili planè modo promissio aut datio præmij eiusque acceptatio pro simplici fornicatione obtinenda sunt iniqua, & dissoluenda ante opus expletum: hoc tamen expleto præmium promissum licitè datur & acceptatur, & iam datum retinetur: nec est inter dicta vlla hac ex parte distinctio.

Alij volunt hæc quidem vera esse spectato solo iure naturæ, aiunt tamen iure positio restituienda esse accepta pro opere, quod legibus prohibetur ac puniuntur. Probat id lex Gen. I. Gen. I. 26. de verb. obligat. & l. Pacta 6. C. de ter. pactis. Sed hæc iura solum probant eiusmodi pacta omnino inuolida ac rescindenda esse ante opus expletum, ob rationem supra dictam, nec ex iis dari vllam actionem etiam post factum, idque in odium id perpetrantis. Vide Lessium de iustitia c. 14. dub. 8. ad quem locum horum tractatio spectat.

DISPUTATIO XXVIII

De tertio opere misericordie externo, scilicet de correptione fraterna.

D. Thom.



E hac disputat D. Thomas 2. 2. q. 33. vbi a. 1. videtur correptionem & correctionem pro eodem accipere: sed si vim vocis & communioem eius vsum spectes, dicta omnino diuersa sunt; nam correptio significat quandam reprehensionem aut etiam castigationem alieni vitij, & tamquam medium solet assumi ad procurandam peccantis correctionem siue emendationem; vnde hæc est illius effectus. Hinc D. Augustinus serm. 16. de verbis Domini: Ideo, ait, debemus amando corrumpere, non nocendi auiditate, sed studio corrigendi. Tamen per metonymiam, qua causa significatur nomine effectus, aut contrā, aut etiam quia dicta aut in re, aut saltem in intentione legitime corripientis sunt coniuncta, vnum pro altero sæpè sumitur.

Correptio est finis & effectus correptionis.

August.

D V B I U M I.

Cuius virtutis actus sit correptio fraterna?

I
Turrian.

Vidam apud Turrianum 2. 2. disput. 76. dub. 1. volunt correptionem fraternam non pertinere ad particularem aliquam virtutem; sed ad diuersas, prout vitia, ob quæ alter corripitur, diuersis virtutibus aduersantur: atque ita si quis corripit peccantem contra castitatem correptio erit actus castitatis; si verò corripit peccantem contra sobrietatem, erit

actus sobrietatis: & sic de ceteris. Ratio est, quia ad eandem virtutem spectat prolequi propriam honestatem, & impedire vitia sibi contraria.

Sed hoc solum probat, correptionem posse assumi siue imperari ob honestatem ac finem proprium istarum virtutum, & singulas inclinare suum subiectum, vt vitia sibi contraria etiam in aliis quantum potest impediatur. Ex quo non sequitur, correptionem fraternam secundum se spectatam esse propriè actum illius virtutis, cui vitium reprehensum contrariatur. Nam vt actio externa sit propriè & intrinsecè actio alicuius virtutis, non sufficit quod sit commoda, aut etiam quandoque necessaria ad huius finem perfectè assequendum (nam sic actus castitatis) sed necessarium est quod per se & ex natura sua ordinetur ad finem illius virtutis, atque ita ad eius honestatem conseruandam sit medium per se necessarium. Correptio autem fraterna solum finem misericordie siue caritatis hac ratione respicit: quod vel inde patet, quia sola caritas siue Dei, siue proximi ad eam nos strictè obligat; vt ostendam dubio sequenti.

CONCLUSIO I. Correptio fraterna est propriè actus misericordie, siue caritatis. Ita D. Thomas 2. 2. quæst. 33. art. 1. & communiter Theologi: quamuis aliqui ex his distinguentes virtutem misericordie à caritate velint correptionem

reptionem frateram propriè & immediatè solum esse actum misericordiae, & solum remotionem caritatis. Sed suprà disp. 26. dub. 4. conclus. 3. & 4. satis ostendi, virtutem misericordiae non distingui à caritate. Hanc autem conclusionem D. Thomas bene probat, quia eiusdem virtutis est procurare alterius bonum, & removere malum ei contrarium: atqui correptio fraterna ex natura sua propriè & per se directè ordinatur ad amouendum siue impediendum malum proximi, scilicet eius peccatum: ergo est actus caritatis, cuius est procurare bonum proximi.

Confirmatur, quia correptio proximi est quaedam elemosyna spiritualis: vt autem ostendi suprà disp. 27. num. 7. elemosyna propriè & immediatè est actus caritatis erga proximum. vbi num. 8. ostendi posse etiam esse actum caritatis erga Deum, quatenus proximi bonum est etiam bonum ipsius Dei, atque ita tanquam tale per se amabile. quod maxime locum habet in correptione fraterna, quae impediuntur peccata, quae secundum se immediatè sunt quoddam externum malum Dei, cuius bonitati & auctoritati contrariantur.

4
Correptio
iudicialis,
fraterna, re-
solutiva &
paterna.

Vt hæc melius intelligantur, Nota Primò, correptionem posse esse triplicem. Prima est iudicialis, quæ assumitur vt puniatur peccatum; & est actus iustitiæ, & solius Superioris auctoritate fieri potest. Secunda est fraterna, quæ assumitur præcisè fratris emendandi causa, & exercetur à pari in patrem. Et de hac hic propriè agimus, dicimusque eam esse actum caritatis. Tertia est, quæ assumitur quandoque contra detractores aut blasphemantes, vt honor Dei aut fama proximi per illos læsa, quantum in nobis est reparetur. Hoc ipso enim quo reprehendo detrahentem, præsertim coram aliis, ostendendo eum falsa dicere, reparo famam proximi per eum læsam. Et similiter dum grauiter reprehendo blasphemantem, præsertim coram aliis, reparo diuinum honorem per ipsum læsum. Ideoque ad illa, quoties commodè fieri possunt, caritas Dei & proximi me obligat, quatenus me obligat ad illorum mala auerenda: & consequenter hæc correptio est etiam actus caritatis, non quidem erga correptum, sicut secunda; sed erga eum, cuius fama vel honor læsa sunt. Vnde etiam hæc adhibenda est etsi non speretur emendatio peccantis, quia hoc manente in sua malitia potest fama aut honor læsi apud alios reparari. Idem dicendum est de prima correptione, quæ spectat bonum publicum, cui expedit peccantes puniri. Secus est de secunda correptione, quæ spectat præcisè bonum correpti.

Potest his addi quarta correptio quodammodo media inter primam & secundam, quæ solet dici paterna: qua quis alium peccantem corripit, in quem aliquam auctoritatem habet, & quatenus hanc habet, siue cum quadam auctoritate & significatione superioritatis. Hæc autem præcipue quidem assumi-

Coninck de act. supernat.

tur ob bonum peccantis, vt hic corrigatur (& in hoc conuenit cum secunda correptione, & participat virtutem caritatis) ita tamen vt verborum seueritate simul culpa puniatur; & in hoc conuenit cum prima correptione, & participat aliquo modo virtutem iustitiæ punitiue, & assumitur ex officio Superioris, & ab eo debita est inferioribus peccantibus. Dicitur autem paterna, quia maxime conuenit amori & curæ quam debet habere pater in filios; & consequenter omnis Superior, maxime spiritualis, erga inferiores, quorum ille quodammodo pater est.

D V B I V M I I.

Vtrum & ex qua virtute obligemur proximum peccantem corrumpere?

Q Vidam olim Semipelagiani, contra quos agit S. Augustinus libr. de Correptione & gratia, putabant obligationem corripiendi proximum peccantem non posse consistere cum necessitate gratiæ ad peccatoris conuersionem ac legis obseruationem requisitæ. Ita enim apud S. Augustinum suprà cap. 2. aiunt: *Vt quid nobis predicatur ac precipitur vt declinemus à malo, & faciamus bonum, si hoc nos non agimus, sed id velle & operari Deus operetur in nobis?* Et infra cap. 4. *Præcipe, inquit, mihi quid faciam, & si fecero age pro me gratias Deo, qui mihi vt facerem dedit. Si non fecero, non ego corripiendus sum, sed ille orandus, vt det quod non dedi; id est ipsam, quæ præcepta eius sunt, fidem Dei & proximi caritatem.* Vbi Notandum, illos non negasse nos debere ob peccata nostra corripì; sed supponentes hoc esse necessarium, & in Scripturis præceptum, inde volebant euertere sententiam D. Augustini ac Ecclesiæ Catholicæ; quæ docet, nos sine gratia Dei, quæ ipse in nobis operetur & velle & perficere bonum opus, non posse mandata implere. vt enim patet ex verbis citatis, & sequentibus; ita argumentabantur: Aut enim habemus eam gratiam, qua Deus in nobis operatur velle & perficere impletionem legis, & sic sine dubio eam implebimus, nec correptione opus erit; aut eam non habemus, & sic frustra arguimur, quia sine ea non possumus implere legem; atque ita nos non sumus arguendi, sed Deus est orandus, vt eam nobis det.

Sed argumentum nullius est momenti, quia etsi ad implendam legem nobis sit necessaria Dei gratia; tamen ipse ex parte sua est paratus eam nobis dare, quanta ad hoc est necessaria, & de facto eam etiam dat, nisi nos nostra malitia ponamus impedimentum malè vtendo gratis iam acceptis, ac internos eius instinctus negligendo: quod si faciamus, peccamus & merito arguimur. Secundo, quia Deus non semper quacumque

Bbb 2 ratione

ratione vult dare nobis suas gratias bona nobis desideria inspirando, & deinde nos ad ea perficienda adiuuando: sed sapè ad hoc requirit aliquorum operam, qui nos exterius admoneant & arguant; atque ita quodammodo plantent & rigent, ut ipse interius det incrementum. Vnde pulchrè D. Gregorius homil. 17. in Euangel. in illud Lucæ 10. *Misit eos binos ante, &c.* Bene, inquit, subditur quia misit eos ante faciem suam in omnem civitatem & locum, quod erat ipse venturus. Predicatores enim suos Dominus sequitur, quia predicatio prænuntiat, & tunc ad mentis nostre habitaculum Dominus venit, cum verba exhortantis præcurrerunt: atque per hoc veritas in mente suscipitur. hinc namque isdem predicatoribus Isaias dicit: *Parate viam Domini, &c.* Tertiò, quia Deus non dat nobis eas gratias quæ nos necessitent ad bene operandum: sed quibus acceptis possumus aut operari, si velimus, aut iis resistere non operando: ut docet Tridentinum sess. 6. cap. 5. Quare sapè nostra culpa contingit, ut accepta gratia, qua possemus bene operari, ea neglecta operemur malè, ideoque corripiendi sumus.

Gregor.

Trident.

8

Ecclesi. 19.

Omnes igitur Catholici docent, fraternam correptionem nobis esse præceptam; nam Scriptura multis locis hoc clarè docet. Nam Ecclesiastici 19. dicitur: *Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat, Non feci; aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne forte non dixerit; & si dixerit, ne forte iteret. Corripe amicum: sapè enim sit commissio.* Ac si dicat, Nisi eum peccantem corripueris, periculum est ne iteret peccatum.

Ecclesi. 17.

Hic autem non dari solum consilium corripiendi proximum, sed verum præceptum, patet Primò, ex tam crebra illius repetitione & sollicita inculcatione; qua significatur agi de re omnino necessaria. Secundò, ex ratione, quæ ibidem subiungitur; ne scilicet proximus non correptus pergat peccare: quod iure naturæ quantum commodè possumus tenemur impedire ex caritate tam Dei quam proximi; quia peccatum est utriusque graue malum, quod tenemur auertere. Tertiò, quia, ut dicitur ibidem cap. 17. v. 11. & Deus dedit homini legem ut attendat siue abstinere ab omni iniquo, & mandauit unicuique de proximo, ut scilicet eum quantum potest ab iniquitate auertat.

Leuit. 19.

Item Leuitici 19. dicitur: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo: sed publice (id est clarè & apertè, ita ut intelligat peccatum suum) argue eum; ne habeas super eo peccatum.* id est, ne sis particeps peccati ipsius, dum scilicet id non impediendo, cum facile posses, censuris in id consentire, atque ita illud sit tibi interpretatiue voluntarium, adeoque tibi imputetur. Ex quo apertè patet, nos obligari datâ occasione per correptionem fraternam proximi peccatum impedire. Hinc etiam merito grauissimè ab omnibus reprehenditur ista vox Cain: *Numquid ego custos fratris mei sum?*

Tertiò, Matthæi 18. dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus, corripe illum, &c.* ubi apertè iubemur fratrem peccantem corrumpere. & ex ratione, ob quam iubemur eum corrumpere, scilicet ut eum aliàs perituro lucremur (quæ valdè grauis est) patet hoc præceptum etiam grauitè obligare. Idem præcipitur multis aliis locis, quæ hic breuitatis causa omitto.

Inter Catholicos igitur satis constat dari ali-quod tale præceptum. Item omnes satis consentiunt hoc esse iuris naturæ; sed est aliqua difficultas, ex qua virtute oriatur. Quidam apud Turrianum 2. 2. disput. 76. dub. 1. putant hoc præceptum oriri ex virtute misericordie, à caritate distincta. Sed hoc satis refutauit disput. 26. dub. 4. conclus. 4. ubi ostendi virtutem misericordie non distingui à caritate.

Alij volunt id non oriri ex particulari virtute, sed ex diuersis prout peccatum corripiendum diuersis virtutibus repugnat. Quia sicut vnaquæque virtus nos inclinat & obligat, ut in nobis propriam ipsius honestatem conferuamus, & contraria vitia fugiamus, ita etiam nos obligat ut idem faciamus in alijs. Sed hoc dici nequit; quia inde sequeretur, eum qui, cum facile possit, non corripit furem, peccare contra iustitiam: vnde ulterius sequeretur, eum teneri ad restitutionem, quod apertè absurdum est. Nimis enim videtur durum & contra communem sensum dicere, eos omnes qui non corripiunt fures, cum facile possent, teneri ad restitutionem.

Dices, talem quidem peccare contra iustitiam, non tamen teneri restituere, quia non omnis qui peccat contra iustitiam, tenetur restituere; ut patet in eo, qui conatur alicui inferre damnum vitio conatu, aut qui videns alium inferentem suo inimico damnum de eo gaudet; qui peccat contra iustitiam sine onere restituendi. Respondet illos omnes & solos teneri ad restitutionem, qui sunt iniusta causa damni de facto illati, quales sunt omnes ii, qui ex iustitia tenentur impedire damnum inferendum, aut procurare ut illatum reparetur, si id sua culpa negligant, saltem quando in eo mortaliter peccant. Quòd enim tales sint verè causa iniusta illius damni, patet, quia ex communi sententia effectus qui per accidens ex mea actione aut omissione sequitur, tunc mihi dicitur voluntarius, & ut causæ imputatur, quando eum teneor impedire. Secundum alteram autem sententiam tenemur ex iustitia corrumpere furem, atque ita quantum possumus impedire ne damnum inferat, aut efficere ut illatum restituat. quare si id lata nostra culpa negligamus, tenebimur ad restitutionem. Hinc patet exempla de conante inferre alteri damnum, aut de gaudente ob damnum alteri iniuste illatum nihil facere ad rem, quia tales non sunt iniusta causa damni.

Ad fundamentum illius sententiæ, nego assumptum. Quia, etsi virtus castitatis v. c. me inclinet

Castitas, si-
nitia, simi-
lesque virtu-
tes non obli-
gant me ut
eas in aliis
conferam.

inclinat ut in altero eius honestatem procu-
rem, & prout possum conferuam, & conse-
quenter ut impediam vitia ei contraria: ta-
men ad hoc me non obligat; praesertim obli-
gatione stricta siue graui: sicut etiam eadem
virtus semper me inclinat ad heroicos eius
actus exercendos; tamen ad hoc me non obli-
gat, nisi quandoque per accidens, eo quod illud
sit necessarium ne in vitium ei contrarium in-
cidam.

Ratio est, quia quaeque virtus suum subie-
ctum solum obligat, ut eam in se conferuet, ni-
hil faciendo quod ei contrariatur; nec quid-
quam omitendo quod necessarium est ut eam
in se conferuet. Potest autem castitas (idem
est de aliis similibus virtutibus) optime in me
persistere, etsi non procurem aliorum castita-
tem, quamdiu enim ego castè viuo quantum-
uis culpabiliter negligam impedire ne alij scor-
rentur; tamen ideo non fio scortator aut in-
continens. Secus est de caritate proximi, quae
sicut per se amat bonum proximi, ita nequit
in me conferuari, nisi id procurem quoties ille
in graui est necessitate, & ego eum facilius iuua-
re possum. Et hæc est ratio a priori, tam cur illa
sententia non sit vera, quam conclusionis mox
ponenda.

14
D. Thomas.
Lectio.
CONCLUSIO. Obligatio corripiendi pro-
ximum oritur propriè ex caritate Dei & proxi-
mi. Ita D. Thomas 2. 2. qu. 33. a. 2. Loca ibidem
& alij. Et sequitur ex dictis dub. 1. & probatur,
quia, sicut caritas Dei & proximi nos obligat
ut data occasione vtriusque bonum procure-
mus, ita nos obligat ut impediamus ea quae
ipsis grauius aduersantur: atqui peccatum,
praesertim mortale, grauius vtrique aduersa-
tur: ergo caritas nos obligat, ut illud impedia-
mus; quod fit per correptionem fraternam.

15
Hinc patet hanc obligationem ex se esse gra-
uiem & sub peccato mortali, quando agitur de
peccato mortali impediendo. Quia hoc est
grauè malum proximi; quod cum priuat vita
spirituali & aeterna beatitudine, & reddit reum
aeterni supplicij. Item est etiam grauis iniuria
Dei, cui infinite displicet peccatum, quoque
eius maiestas infinite quodammodo deprimi-
tur; dum eius peccata prohibentis auctoritas
ac amicitia rebus creatis postponitur. Hinc
D. August. D. Augustinus serm. 16. de verbis Domini: Ille,
inquit, iniuriam fecit, & iniuriam faciendo seipsum
graui vulnere percussit; tu vulnus fratris tui con-
temnis; tu eum vides perire, & negligis? Peior es ta-
cendo, quam ille conuiciando.

Dixi, hanc obligationem per se esse sub peccato
mortali, quia saepe ratione circumstantiarum
omissio correptionis erit solum peccatum veni-
nale, aut etiam nullum; ut patebit ex dubio
sequenti.

16
Dices Primò, Quando malum proximi est
ipsi voluntarium, quodque faciliè per se possit
auertere, si velit, non teneor ei succurrere; ut
patet in eo, qui sponte patitur paupertatem,
nuditatem, ac miseriae eas sequentes; quem
non teneor his eripere, quia non censetur esse
in necessitate: atqui omne peccatum saltem for-
Coninck de act. supernat.

male est peccantivoluntarium, & hic potest il-
lud vitare, si velit: ergo non teneor ipsum ab
eo eripere.

Respondeo Primò, hinc ut summum sequi,
me non teneri corripere peccantem praecise ob
bonum ipsius, siue quatenus peccatum ipsi
praecise malum est: cum quo optime consistit
quod teneor illud impedire ex caritate Dei, cui
per peccatum fit grauis iniuria.

17
Respondeo Secundò, etsi peccatum qua vol-
untarium non mereatur misericordiam, sed
potius indignationem & vindictam; tamen ex
alia parte meretur etiam misericordiam, qua-
tenus habet multum inuoluntarij admistum.
Fit enim communiter, aut ex aliqua ignoran-
tia licet crassa, aut ex inconsiderantia; aut ex
aliqua animi perturbatione, aut graui tenta-
tione, vel affectuum inclinatione in bonum
delectabile peccato coniunctum. quae red-
dunt eius vitiationem valde difficilem: & hac
ratione est ex parte inuoluntarium. Sicut per-
ditio sarcinae est ex parte inuoluntaria viatori,
qui ob lassitudinem & difficultatem eam fe-
rendi ipsam abiicit, ac in via relinquit.

18
Respondeo Tertiò, etsi quis peccet omnino
sciens & ex pura malitia, adhuc peccatum esse
ex aliqua parte inuoluntarium, quatenus scilicet
priuat peccantem gratia Dei & aeterna bea-
titudine, aut causat ei aeternum supplicium;
quae peccans odit & cuperet effugere. Nec re-
fert quod hæc voluntariè sibi accersat, atque
adeo videatur ea parui facere, cum faciliè ea vi-
tare possit; hoc enim fit, quia non satis appre-
hendit quantum malum illa contineant; quod
si, prout decet, apprehenderet, omnino non
peccaret.

Adde, neminem ita peccare ex malitia quin
aliqua tentatione, & ad bonum delectabile
inclinatione, quam non ira faciliè potest supe-
rare, ad id inciteretur: atque ita ipsum peccatum
tum ex hac parte, tum etiam quatenus dicta
mala adfert, est ei semper aliqua ratione inuo-
luntarium. Hoc tamen fatendum est, nos rariùs
obligari taliter peccantes corripere, quia rard
est spes emendationis: quando tamen hæc ad-
est, ad illud tenemur.

19
Dices Secundò, Matth. 7. v. 1. & etiam 1. Co-
rinth. 4. v. 5. prohibemur alios iudicare: ergo
prohibemur etiam eos corripere: quia ante
quam eos corripiamus, debemus eos iudicare
peccasse. Respondeo, nobis illis locis solum
prohiberi, ne iudicemus de occultis aliorum
factis ea sine iusto fundamento male interpre-
tando: correptio autem solum debet fieri de
peccatis manifestis, quae non possumus non
iudicare esse peccata.

Adde, Matth. 7. ut patet ex v. 3. propriè re-
prehendi eos, qui paruos defectus in aliis no-
tant, ac grauius arguunt ex hypocrisi, ut ipsi vi-
deantur iusti: & interim grauius peccata dis-
simulant.

D V B I V M I I I.

Quæ peccata teneamur in aliis corrigere?

20 **C**um varia sint peccata, de quibus possimus alium corrigere, varia hic occurrunt difficultates.

Origen. Prima est, vtrum teneamur in proximo corrigere peccata mortalia. Origenes enim tractatu 5. in Matthæum videtur id negare. nam docet correptionem solum respicere leuiora aliorum peccata: non autem peccata quæ sunt ad mortem; inter quæ numerat homicidia, idololatriam, fornicationem, & similia. Probat suam sententiam, quia Christus Matth. 18.

Matth. 18. solum præcipit vt corripiamus fratrem in nos peccantem: atqui qui grauiora illa peccata committit, non est frater: ergo hic non est corripiendus. Minorem probat, quia 1. Corinth. 5. dicitur: *Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruans, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, &c.* vbi Apostolus illum qui dicta facit, non dicit esse, sed solum nominari fratrem; insinuans eum verè non esse fratrem.

Origen. Sed mens Origenis non est satis clara, tum quia non satis liquet an omnia peccata mortalia ibi vocet peccata ad mortem: an verò solum aliqua grauiora, & quæ magnum scandalum aut perturbationem pariunt. nam inter peccata, de quibus tenemur alios corrigere, numerat quadam, quæ solent inter mortalia censerì. Item videtur ibi solum disputando loqui: quia etiam contra alteram partem difficultatem mouet.

21 **Q**uidquid autem sit de ipsius mente, constat inter Doctores Catholicos peccata mortalia etiam grauissima esse materiam correptionis fraternæ. quod apertè colligitur ex dicto loco Matthæi: vbi Christus ait: *Si te audierit* (scilicet peccator à te correptus) *lucratus eris fratrem tuum.* In quæ verba D. Augustinus sermone 16. de verbis Domini: *Quid est, inquit, lucratus est te, nisi quia perieras, nisi lucraretur te? nam si non perieras, quomodo te lucratus est?* Certè non perimus nisi per peccatum mortale. Confirmatur, quia Christus dicit eum, qui corripientem fratrem post inductos testes non audit, denunciandum esse Ecclesiæ; quam si non audierit, habendum tanquam Ethnicum & publicanum. quæ non conueniunt in solum venialiter peccantem, quantumuis ab hoc non absteineat.

22 *Origen.* Argumentum autem Origenis nullius momenti est: nam phrasi Hebræa ibi dicitur nominari frater, qui verè talis nominatur, atque adeò verè est frater. Simili ratione angelus Lucæ 1. de Christo nascituro ait: *Hic eris magnus, & filius Altissimi vocabitur:* id est erit. Et infra: *Quod nascetur ex te sanctum vocabitur filius Dei.* Et inferius Zacharias alloquens Baptistam ait: *Et tu puer propheta Altissimi vocaberis.* Quod autem Christiani quantum-

uis peccatores sint verè nostri fratres, patet 1. Iohannis 3. vbi dicitur: *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Et S. Iacobus cap. 5. v. 19. *Inquit, existentes in peccato mortali apertè vocat fratres.* Ratio est, quia, etsi tales non sint verè filij Dei, quamdiu tamen fidem retinent sunt, filij communis matris Ecclesiæ: præsertim si non sint excommunicati; & consequenter sunt fratres nostri.

Secunda difficultas est, vtrum in aliis teneamur corrigere peccata venialia. Quia in te certum est nos ad hoc teneri, quando aliàs est notabile periculum ne peccans incidat in peccatum mortale: quia patet, nos teneri hoc quantum commodè possumus impedire.

Item certum est, Superiorem Religiosorum teneri in suis subditis corrigere peccata venialia, quando aliàs imminet periculum ne disciplina Religiosa magna ex parte dissoluatur, quia tenetur quantum potest dare operam vt hæc integrè seruetur. Imò credo certum esse quemuis etiam priuatum, præsertim si sit membrum illius Religionis, teneri ad eiusmodi correptionem, quando commodè potest & sperat fructum: quia talis dissolutio est graue valdè malum ipsius Religionis siue totius communitatis; quod ille ex caritate & fide, quam debet patri suæ, scilicet ipsi Religioni, tenetur impedire.

Tertiò, satis constat, nos extra dictos casus non teneri sub mortali corrigere peccantem solum venialiter. Primò, quia minus teneor cauere peccatum alterius, quam meum: atqui non teneor meum peccatum veniale vitare sub mortali: ergo nec ita teneor vitare peccatum alterius. Secundò, quia magis peccat, qui suadet alteri vt peccet venialiter, quam qui id sponte permittit: atqui ille non peccat mortaliter: ergo nec hic.

Dices, Si proximus esset in periculo perdendi omnia sua bona, aut etiam vitam, tenerer sub mortali id impedire, si commodè possem: atqui peccatum veniale est grauius malum quam illud: ergo teneor etiam sub mortali hoc impedire, si commodè possum.

Respondéo, negando consequ. Primò, quia peccatum veniale, etsi absolute sit grauius malum, quam amissio vitæ; tamen in genere bonorum spiritualium est leue, ideoque non ita obligamur id impedire: præsertim cum facilis sit illius reparatio, vnde multum eius malum minuitur. Secundò, quia vt grauius obliget proximi malum impedire, non tam spectandum est quam graue illud sit, quam quam sit illi inuoluntarium, quantumque ipse hoc teneatur vitare: hinc etsi longè grauius damnum accipiat qui lusu perdit aliquot milia aureorum, quam is qui casu fortuito perdit centum; longè tamen aliter teneor hoc impedire, quam illud; quando vtrumque æquè commodè impedire possum. Peccatum autem veniale est peccanti voluntarium.

Tota

26

Tota itaque difficultas est, quando solum est periculum ne quis aliis sapius labatur in eadem peccata venialia, utrum tunc sub peccato veniali teneamur eum corripere.

Prior sententia id absolute affirmat. Primo, quia laboranti aliqua necessitate corporali, etsi non sit gravis, tenemur succurrere quando commodè possumus: ergo idem dicendum est de laborante necessitate spirituali, etsi hæc non sit gravis, quale est omne periculum peccati venialis. Secundo, quia eiusdem rationis est impellere alium ad malum, & eum ab hoc non impedire, cum facillè possis: atqui impellens alium ad peccandum venialiter, peccat venialiter: ergo similiter is qui ipsum ab eo non impedit. Tertiò, quia tenemur diligere proximum sicut nos ipsos: atqui tenemur à nobis auertere peccata venialia: ergo etiam à proximo. Hanc tenent Caietanus in Summa verb. *Correctio fraterna*. §. Est ergo. Valentia 2.2. disp. 3. qu. 10. puncto 2. sub finem. Soto de regendo secreto, qu. 2. conclus. 3. Lorca hic disp. 4. in 9.

Caietan.
Valentia.
Soto.
Lorca.

Paludan.
Adrian.
Bañez.
Angelus.
Azor.
Nauarr.
Silvest.

Matth. 18.

Secunda sententia docet, nos nullo modo teneri talem monere. Ita Paludan in 4. d. 19. q. 3. a. 2. Adrianus in 4. tractatu de correptione fraterna, §. *Quoad tertium*. Bañez 2.2. q. 3. art. 1. dub. 2. Angelus verb. *Correctio fraterna*. num. 1. Azor. 2. institut. Moralium libr. 12. c. 14. Eandem insinuant Nauarrus cap. 24. num. 12. & 13. Silvester verb. *Correctio fraterna*, qu. 1. non satis tamen se explicant, quia videntur etiam insinuare esse obligationem sub peccato veniali, dum negant esse obligationem sub peccato mortali.

Probatum Primo, quia Matth. 18. vbi datur & explicatur præceptum de correptione fraterna, expressè agitur de corripiendo peccante mortaliter; quia hic solus potest dici perisse nisi corripitur; & habendus tanquam Ethnicus, si Ecclesia non audierit. Hæc enim nequeunt conuenire in peccantem solum venialiter.

28

Secundò, quia nimis durum videtur, nos obligari ut omnes peccantes venialiter corripiamus: idque Primo, quia eiusmodi peccata frequentissimè & communiter ab hominibus committuntur: atque ita quasi continuo, quoties inter homines versamur, teneremur alios corripere. quod videtur intolerabile. Secundo, quia hoc turbaret valde pacem tam internam quam externam: nam ubique occurreret occasio dubitandi an hic & nunc talem aut talem venialiter peccantem teneremur corripere; quod in rebus ita obuiis, & quæ pendunt à tot circumstantiis difficile esset dignoscere. atque ita talis obligatio redderet nos anxios. Deinde ipsi etiam reprehensi facillè turbarentur, aut quia non agnoscerent se in tali facto peccasse; nam ista parua vitia non ita facillè in nobis aduerimus, & facillè videntur nobis posse excusari: aut quia indignarentur nos ea in ipsis reprehendere, quæ ipsi aut saltem iis similia committimus, cum sine venialibus non possumus vivere; & fortè puta-

rent nos id facere ex hypocrisis, ut videremur aliis sanctiores.

Probatum Tertiò: nam, ut ostendi supra disput. 27. num. 32. extra casum extremæ aut gravis necessitatis corporalis non tenemur certæ alicui personæ facere eleemosynam; sed sufficit quod pro nostra facultate demus aliquando aliquibus eleemosynam: atqui ii, qui solum peccant venialiter, ut summum sunt similes pauperibus laborantibus communi necessitate: ergo nulli horum obligamur in particulari dare eleemosynam spiritualem, eum corripiendo: sed ut summum possumus obligari ut aliquando aliquos corripiamus, qui magis videbuntur indigere correptione, & quando id facillè poterimus facere.

Probatum Quarto, quia prior sententia non videtur niti satis firmo fundamento: nam eius argumenta facillè possunt solui. Ad primum, Respondeo Primo, nego maiorem; nam, ut iam ostendi, nulli talium determinato tenemur dare eleemosynam; sed sufficit quod aliquando aliquibus eam demus. Respondeo Secundò, nego consequentiam: quia tales pauperes omnino inuiti patiuntur eiusmodi necessitates, nec possunt se ab iis expedire; sed cū est de existentibus in periculo perseverandi in peccatis venialibus, quia hi facillè possunt se ab eiusmodi malo expedire si velint. Ad secundum, nego maiorem: videtur enim repugnare communi sensui; nam omnes iudicant me longè aliter obligari ne alium impellam ad peccandum, quam ne omittam ipsum à peccando retrahere. quod vel inde patet, quia nulla potest dari iusta causa ob quam alterum licitè incitem ut peccet: plurimæ autem possunt dari, ob quas licitè omittam eum à peccando auocare. Ad tertium, Respondeo maiorem non esse ita intelligendam, quasi in omnibus casibus obligemur eodem planè modo procurare bonum proximi, & malum eius impedire, sicut tenemur nostrum malum spirituale impedire. nam quando agitur de vitandis peccatis; hoc apertè falsum est: nam ex eo sequeretur, sicut ob nullam causam possumus permittere siue non euitare proprium peccatum, ita nos ob nullam causam posse permittere peccatum alienum, quod apertè falsum est.

Sed credo neutram ex his sententiis esse absolute & generatim veram; imò credo auctores earum non intendere eas ita absolute & generatim asserere: atque adeò putò eos posse conciliari. Respondeo igitur Primo, nos communiter non teneri fratrem corripere ob sola peccata venialia, quando aliud non subest periculum. & hoc satis probant rationes pro secunda sententia allatæ.

Respondeo Secundò, valde tamen esse probabile, nos aliquando per se, & secluso alio periculo sub veniali teneri fratrem corripere ob peccata venialia, quando certæ adsunt conditiones. Scilicet Primo, quod manifestum sit ipsum peccasse, & quidem in genere peccati venialis aliquo modo graviter.

Bbb 4

Secun-

Quaratione
& quando
teneamur
corripere
peccantes
venialiter.

Secundò, quòd omnino commodè & sine peccantis offensione cum possim corripere, ita ut moraliter aliquo modo certus sim correptionem profuturam & nullo modo obfuturam. Hæc autem obligatio maximè habet locum quando peccatum esset aliis scandalo, trahendo eos ad imitationem. Ratio est, quia, cum eiusmodi peccatum sit notabile proximi malum, & vera Dei offensa; sincera Dei proximi que caritas exigit ut id ab eo auertam, quando id tam facillè facere possum. sicut mala proximi corporalia etiam leuia teneor ab eo auertere, quando sine vlllo meo incommodo id facere possum. Ex quibus patet solutio rationum pro secunda sententia allatarum, quæ huic sententiæ sic explicatæ non repugnant. Quia tamen hæc conditiones rarò adlunt, hinc etiam rarò adest eiusmodi obligatio: nisi fortè in Superioribus, qui ratione officij multò strictius obligantur sibi subditos corrigere, eorumque perfectionem procurare: & facilius sine vlllo incommodo, & cum fructu id facere possunt. Quibus proximè in hac obligatione succedunt, qui magna apud alios auctoritate sunt.

33 Tertiò, est difficultas, an teneamur ea peccata corripere quæ publicè aut magistratu permittente fiunt, qualia sunt peccata publici vsurarii, aut publicæ meretricis.

Teneamur quandoque etiam publicos peccatores corrigere.

Sed omnino dicendum est nos ad hoc teneamur, quando id commodè facere possumus, & speratur fructus. Quia etiam eiusmodi peccata cum graui Dei iniuria & proximi malo fiunt. Imò sæpè, præsertim peccata meretricum & similia, positis iis conditionibus eo magis tenemur corripere, quo cum maiore aliorum scandalo & ad peccandum allectio- ne fiunt. Nec refert quòd magistratus ea permittat, quia hoc solum facit, quia si- ne grauiore incommodo ea nequit impedi- re.

34 Dices, Si ego publico vsurario persuade- rem ut desisteret dare ad vsuram, sequere- tur idem incommodum, quod magistratus in- tendit vitare, permittendo ei exercitium vsu- ræ, scilicet quòd multi grauius indigentes mu- tuo & non reperientes mutuantes, premeren- tur grauius difficultatibus.

Cum magi- stratus quò- doque mi- nus teneatur quædam pec- cata impedi- re quàm pri- uat.

Respondeo, duplex esse discrimen inter ma- gistratum permittentem publicum vsurarium, & inter priuatum omittentem cum corripi- re quando ipsum ea ratione posset facillè emen- dare. Primò, quia si magistratus hunc vsu- rarium ab eo exercitio impediret, deberet omnes impedire, quia nulla est ratio cur id vni magis permittat quàm alteri: atque ita dic- ta incommoda necessariò sequerentur. Sec- undò, quia, et si magistratus possit impedire ne huiusmodi homines publicè vsuras exercent: nequit tamen efficere ut in animo à peccatis verè ad Deum conuertantur; aut etiam occul-

tè peccare desinant: quod tamen facit priu- atus, qui eos efficaciter corripit, atque ita eorum animas lucratur: quod magistratus facere ne- quit.

Quartò, est difficultas, vtrum peccata præ- terita, an verò futura sint materia correptionis fraternæ. Sed dicendum est nos teneri quidem, quantum commodè possumus, proximi peccata futura impedire, sola tamen præ- terita esse materiam correptionis: quia non possumus aliquem corripere siue reprehende- re ob peccata, nisi ea iam aliquo modo commiserit, saltem exponendo se notabili pe- riculo ea committendi; quo casu iam ince- pit peccare; finis tamen ipsius correptionis est propriè impedire futura peccata, siue ne proximus peccata commissa postea repe- tat, aut saltem diutius in commissis hæreat. Quare ob peccatum omnino præteritum; quando inde aliud non timetur malum, non tenemur quemquam corripere, ut dicam du- bio 6. num. 117.

D V B I V M I V.

Quos peccantes teneamur corrigere?

C Vm varia sint genera peccantium, va- riæ occurrunt difficultates sigillatim tra- ctandæ.

Prima est, an teneamur corrigere peccan- tes ex ignorantia. Qua in re certum est pec- cantes ex ignorantia vincibili debere corri- pi, quia verè culpabiliter peccant. Sed est difficultas de peccantibus ex ignorantia inui- ncibili.

Quidam id generatim negant: nam ita pec- cantes verè non peccant, saltem culpabiliter. Pro hac citatur Nauarrus in Summa cap. 24. Nauar. num. 12. & in cap. Si quis de penitentia, dub. 7. num. 71. Sed ipse ut summum tenet tertiam sententiam.

Alij generatim affirmant tales esse corripiendos, quando speratur fructus. quia talis ignorantia ac peccatum eam consequens, sunt verè malum proximi, à quo tenemur eum eripere. Ita Siluester verb. *Correctio fraterna*. Siluest. quæst. 10. D. Antoninus 2. p. tit. 9. §. 4. Ange- lus verb. *Correctio fraterna*. num. 6. Lorca hic Lorca disp. 42. n. 15.

Alij dicunt priorem sententiam esse veram respectu peccantium contra solum ius politi- um, secundam verò respectu peccantium contra ius naturæ. Pro hac citatur Bañez 2. 2. Bañez quæst. 33. art. 2. dub. 3. sed ibi conclus. 2. ex- pressè docet, peccantem ex ignorantia iuris si- ue diuini siue humani corripiendum esse, quan- do speratur emendatio.

Pro resolutione Nota, hanc ignorantiam esse duplicem: vna est iuris, qua ignoramus aliquam legem ad nos spectantem, siue natu- ralem, siue diuinam, siue humanam. Alia est facti, qua ignoro aliquod factum, aut aliquam actionis meæ circumstantiam; ex quo

quo fit vt materiale peccatum committam; vt si volens comedere carnes ignorem esse feriam sextam, aut si ignorem cibis, quos volo comedere, carnes esse permixtas.

38 CONCLUSIO I. Teneor monere eum qui peccat ex ignorantia inuincibili iuris tam naturalis quam positiui, si speretur fructus; secus, si non speretur fructus. Ita aperte Auctores secundæ sententiæ.

Prima pars probatur, quia hæc ignorantia est graue malum proximi, quod quisque prudens velleret se auerti, & quod etiam quisque quantum potest, tenetur euitare: nam quisque tenetur discere scitu necessaria ad recte viuendum: cognitio autem talis iuris est necessaria ad recte viuendum; vt magis patebit ex dicendis.

39 Probatur Secundò, quia hanc ignorantiam consequuntur graua mala. Primò, peccata materialia, quæ multum dedecent naturam humanam, maximè quando sunt contra ius naturæ. Secundò, periculum ne talis tandem etiam formaliter peccet, quando hæc ignorantia incipit ei esse vincibilis. nam propter assuetudinem liberè eiusmodi actus committendi, postquam incipit de eorum malitia dubitare, difficulter ab iis abstinere: atque ita vel ex affectu circa tales actus, aut quia fortè pudebit ab aliis discere veritatem, atque ita suam fateri ignorantiam, perseverabit in antiqua incitia & consuetudine, cum graui animæ damno. Tertiò, quia sæpe est periculum scandalis: facile enim contingit talem similia facere coram aliis qui eius exemplo vt similia faciant pertrahantur. Quartò, quia honor Dei obligat me, vt quantum commodè possum, vitem etiam peccata materialia, tam in me quam in aliis.

40 Secunda pars probatur, quia, quando non speratur fructus, ne quidem teneor corripere peccantem formaliter, quia correptio esset inutilis. Nota tamen fructum huius correptionis non esse spectandum ex sola emendatione eius qui corripitur, sed quandoque etiam ex aliis rebus. Hinc præsertim Superior peccantis tenetur eum corripere etiam aliquando cum peccat ex inuincibili siue probabili ignorantia, adeoque excusante à culpa, etiam si vix vlla sit spes cum correptione emendandum. Primò, quando esset periculum, ne is, qui sibi non omnino cerò persuadebat suam actionem esse licitam, ideoque minùs audacter minùsque frequenter eam exercebat, videndo Superiorem eam non reprehendere, crederet ipsum hanc approbare, atque ita audaciùs eam faceret, & postea difficillimè posset de veritate instrui. Quod maximè locum habet in eo qui habet solum probabilem opinionem, quòd sua actio sit licita; aut quando eius ignorantia non potest diu esse inuincibilis: quod in ignorantia iuris communiter accidit. Secundò, quando ex opere ita ignoranter factum est sequi scandalum; quod communiter contingit quando aliqui vident aliquem coram Superiore talia facientem, nec

ab eo corripitur; facile enim sibi persuadent Superiorem ea approbare.

41 Ex quibus patet, Superiorem ferè semper teneri tales corripere, præsertim quando coram aliis peccant; et si probabilis putet talem sua correptione non emendandum; quia alias grauius aliis noceret, quòs illum non corripiendo scandalizaret. Hinc S. Paulus Act. 20. Epheliis ait: *Quapropter testor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium: non enim subrefugi, quo minùs annuntiarem omne consilium Dei vobis.* Vbi insinuat, se non futurum mundum à sanguine siue interitu eorum, si eos quidquam celasset. Idemque dicendum de priuato, quando correptio necessaria est ad vitandum scandalum, aut graue malum alicuius tertij.

42 CONCLUSIO II. Laborantem inuincibili ignorantia facti, & ideo peccantem, præsertim contra ius diuinum vel naturæ, vt si contrahat cum cognata, teneor monere, si sine villo incommodo id facere possim, & speretur emendatio; si vero hæc non speretur, aut si grauius incommoda timeantur, teneor tacere, et si Superior sim, modò absit scandalum. Hanc etiam tenent Auctores secundæ sententiæ suprà citati.

Prior pars probatur ex rationibus allatis pro prima conclusione, & maximè quarta. quia ista peccata materialia sunt aliquod malum ipsius peccantis contrarium honestati, virtuti & honori Dei.

43 Dixi, præsertim quando peccat contra ius diuinum vel naturæ, quia si tantum peccet contra ius humanum, vt si ignorans esse feriam sextam, solus, siue ita vt alij inde nequeant scandalizari, comedat carnes, cum illa comestio per se non dedecet humanam naturam, & materialis illa violatio iuris humani sit parui momenti, aut parum aut vix obligor proximum ab eo facto auertere, maximè si vel leuem aliquam rationem habeam cur id non faciam. Ita Bañez 2.2. quæst. 33. a. 2. dub. 3. concl. 4. & 5. & Nauarrus cap. 24. num. 12. Superior tamen præ aliis facilius obligatur vt talem moneat; quisque etiam tenetur in casu scandalis.

44 Secunda pars probatur, quia hæc peccata materialia videntur aliquod minus malum quam quod cum notabili aliquo proximo incommodo teneor impedire; nec etiam est illa obligatio in proximo discendi particularia facta, sicut est obligatio discendi ius scitu necessarium ad bene viuendum. Item vix hic locum habere possunt illæ rationes, ob quas suprà diximus Superiorem teneri monere subditum peccantem ex ignorantia iuris, etiam dum notum est spes emendationis.

45 Hinc si sciam aliquos propter cognitionem aut affinitatem inualidè contraxisse, idque eos inuincibiliter ignorare, si sperem eos faciliè inducendos vt impetrent dispensationem & si ne turbis rursus contrahant, teneor ipsis veritatem aperire; si verò probabiliter metuum ne graues turbationes sequantur (vt si alteruter

cum

Ex quibus
spectandus
fructus cor-
reptionis.

43
An teneor
corripere
peccantem
ex ignorantia
facti contra
ius hu-
manum.

Bañez.
Nauarr.

44
Differentia
inter igno-
rantiam iu-
ris & facti.

45

cum graui alterius aut amicorum turbatione & prolium damno credatur facturus diuortium) teneor tacere si credam rem mansuram omnino occultam.

46

Idem dicendum in quibusdam peccatis commissis ex ignorantia iuris, non ita passim noti, & quod non potest nosci pertinere ad hunc in particulari. v.g. confitetur aliquis se cognouisse consanguineam vxoris suae, hic secundum communem sententiam non potest petere debitum; confessarius tamen (nisi possit forte cum eo dispensare vt licitè debitum petat) communiter melius faciet relinquendo illum in sua bona fide, qua putat sibi licere petere debitum; quia si aperiat illi veritatem, postea formaliter peccabit petendo debitum; & communiter non est verosimile futurum vt ideo absteineat à petendo debito: quamdiu autem manet in bona fide, solum peccat materialiter sine vilo periculo scandalii. Quod si confessarius possit dispensare, aut certò credat alterum cognita veritate autè obtentam dispensationem non petiturum debitum, deberet illi aperire veritatem.

Qui cognouit consanguineam vxoris communiter non est docendus, quod non possit petere debitum.

47

An sit monendus qui contraxit sponsalia cum occulto impedimento.

Valentia.

Idem videtur dicendum de eo, qui iam desponsasset sibi aliquam, cuius consanguineam occultè cognouisset, penitus ignorans id esse impedimentum dirimens: & iamiam instantes nuptiae non possent sine graui scandalo differri; posset enim confessarius eum relinquere in bona fide qua hic crederet illud nullum praestare impedimentum his nuptiis. Colligitur ex Valentia hic quaest. 10. puncto 2. §. Certum est. & sequentibus. vbi absolute docet, non esse monendos peccantes ex inuincibili ignorantia iuris, quando non speratur emendatio: atqui in dicto casu vel nulla vel vix villa est spes emendationis; vix enim credibile est talem posse induci vt cum tanta sua nota & criminis suspicione, & graui suorum omnium offensione à nuptiis absteineat, aut eas differat, maximè si diu differri deberent. quod communiter contingit, si prius dispensatio petenda sit. His adde, etsi nuptiae crederentur differendae aut omnino impediendae, si tamen id non posset fieri sine graui multorum offensione & suspitione caula, ob quam differantur, videri potius tacendam veritatem ob graui incommoda, quae possunt alias sequi, v.g. odia graui, turbationes familiarum, &c. quae magis vitanda sunt, quam illa peccata materialia. Vnde Valentia supra §. Propter cuius. putat ratò accidere, vt qui ex inuincibili ignorantia contraxerunt inualidè, sint monendi. Eadem autem est ratio in casu istorum sponforum. vt cum aliis expressè docet Sanchius libr. 2. de Matrimonio disput. 38. num. 6. additque numero 7. confessarium in eo casu non solum posse, sed etiam teneori tacere.

Valentia.

Sanchius.

48

Excipe casum, quo confessarius facillè posset impetrare occultè dispensationem, vt sponsi possent inter se contrahere, aut vt ii, qui ob occultum impedimentum inualidè

contraxerunt, possent iterum secretè contrahere; & omnino crederet se id sine turbis posse efficere. Est tamen hac in re satis magna difficultas, quando impedimentum est ortum ex crimine, cuius altera pars omnino ignara est. Qua in re quomodo procedendum sit satis explicui tomo 2. de Sacramentis disput. 24. dub. 10.

Secunda difficultas est, vtrum teneamur corripere infideles peccantes. Videmur enim ad hoc non teneri: quia Christus Matthaei 18. Mat. 18. solum iubet nos corripere fratrem peccantem: atqui infidelis non est noster frater, quia nec est filius Dei, nec Ecclesiae.

Sed omnino dicendum est nos teneri etiam tales corripere, quando est spes fructus, ac reliquarum conditiones ad sunt, quas dubio 6. requiramus vt hoc praecceptum obliget; nam etiam in his militat eadem ratio; quia nimirum caritas Dei & proximi nos obligat vt, quantum commodè possumus, Dei iniuriam & proximi graue malum auertamus; quod per eiusmodi correptionem fit: nam per eam impedimus peccata infidelis, quae sunt vera iniuria Dei, & graue illius malum, & ipse est etiam noster proximus per caritatem diligendus. vt patet ex dictis disput. 24. dubio 7. conclus. 5. & potest etiam dici aliquo modo noster frater ratione communis naturae & originis ex Adamo. Et haec est communis sententia.

Tertia difficultas est, vtrum teneamur corripere etiam eos, qui publicè & ex consuetudine peccant, quales sunt publici vsuarij, & quotidie ebrij, & similes. Videmur enim ad hoc non teneri. Primò, quia cum plurimi etiam viri boni videant eos peccantes, possumus supponere eos ab his corrigendos, atque ita nostra correptione non indigere. Secundò, quia alijs plurimi viri boni, qui eos vident peccantes, & non corripiunt, peccarent; quod tamen de illis non est praesumendum.

Sed omnino dicendum est, nos teneri etiam hos corripere, quando id commodè & cum probabili spe fructus fieret. quia est eadem ratio corripiendi hos, quae est in alijs, scilicet auertere iniuriam Dei, & mali proximi. Quia tamen eiusmodi spes est rara, ideo rariùs ad eorum correptionem tenemur, ideoque etiam viri boni eos communiter non corripiunt. Ex quo patet refutatio ad secundum argumentum. Fieri tamen potest vt adsit aliquando eiusmodi spes; & ratione circumstantiarum credantur magis emendandi mea correptione quam aliorum: & tunc ad hanc prae alijs teneor. Ex quo patet responsio ad prius argumentum.

Quarta difficultas est, vtrum teneamur corripere nostros Superiores, quando videmus eos peccare. Videmur enim ad hoc non teneri. Primò, quia non sunt nostri fratres, sed patres. Secundò, quia eiusmodi correptio videtur repugnare reuerentiae, quam Superioribus debemus.

Sed

⁵²
Tenemur
quandoque
Superiores
corripere.
D. Thom.
Sed omnino dicendum est inferiores etiam
quandoque teneri suos Superiores peccan-
tes corripere, quando id commodè & cum
fructu fieri potest. Ita D. Thomas 2.2. quæst.
33. artic. 4. & cum eo communiter Theolo-
gi.

^{Galat. 2.}
Probatur Primò, exemplo S. Pauli, qui ad
Galatas 2. dicit se S. Petro (qui tamen erat
ipsius Superior) in faciem restitisse, id est eum
coram reprehendisse, quòd quædam minùs
conuenientia faceret. Ad quorum facta al-
ludens S. Augustinus epist. 19. ad S. Hierony-
mum, Ipse Petrus, inquit, quod à Paulo siebat
villiter libertate caritatis, sancta ac benigna piete-
te humilitatis accepit; atque ita rarius ac sanctius
exemplum posteris præbuit (quo non dedignaren-
tur, sicuti fortè recti tramitem reliquissent, etiam à
posterioribus corrigi) quam Paulus; quo confiden-
ter auderent etiam minores maioribus pro defenden-
da Evangelica veritate, salua fraterna caritate resi-
stere. Nam cum satius multò sit in tenendo itinere
in nullo, quàm in aliquo declinare; multò est ta-
men mirabilis & laudabilis libenter accipe-
re correptionem, quàm audacter corrigere deuian-
tem. Idem apertè docet epistola 109. ad mo-
nachas.

^{Gregor.}
Idem docet S. Gregorius relatus cap. Sicut.
2. quæst. 7. vbi, Sicut, inquit, laudabile discre-
tumq; est reuerentiam & honorem exhibere maio-
ribus, ita rectitudinis & Deitatis est, si qua in eis
sunt, que indigent correctione, nulla dissimulatione
postponere. Idemq; apertè etiam docet locis
infra citandis, vbi etiam modum, quo id fieri
debet, explicat.

⁵⁵
Probatur Secundò, ratione, quia, etsi Præ-
lati qua tales sint nostri patres, atque ita ma-
gnam reuerentiam ac submissionem à nobis
exigant; sunt tamen etiam homines pecca-
tis ac miseriis subiecti, atque ita aliena ope
qua subleuentur sæpè indigent. Item qua
homines, ac Dei ac Ecclesiæ filij, sunt nostri
proximi ac fratres: & consequenter caritas
proximis debita exigit, vt iis peccati malo præ-
fisis succurramus: quod fit per fraternam corre-
ptionem. & hinc patet solutio proximi argu-
menti allatæ. 51.

Item cum peccatum repugnet honori Dei,
cui cedere debet omnis reuerentia homini
quantumvis superiori debita, magis debemus
moueri zelo diuini honoris, peccata impe-
diendo, quàm deterri superioritate Prælati,
ne eum peccantem corripiamus: atque ita
hæc correptio quando debito modo fit, nul-
la ratione repugnat reuerentiæ Prælati debi-
tæ, dum per eam honor Dei, & ipsius Præla-
ti bonum eius venerationi præponitur. Ex
quo patet responsio ad secundum argumen-
tum n. 51. positum.

⁵⁴
D. Thomas.
Modus in
correptione
Superioris
seruandus.
In eiusmodi tamen correptione quædam
obseruanda sunt, vt bene monet D. Thomas
suprà. Primò, vt eiusmodi correptio fiat cum
humilitate, & ostensione submissionis ac re-
uerentiæ erga Superiorem; ita vt absint omnia
verba duriora, nec fiat per modum incre-
pantis, sed potius per modum rogantis ac
obsecrantis.

Quod etiam præcipit Apostolus 1. ad Ti-
moth. 5. vbi ait, Seniore ne increpaueris: sed ob-
secra vt patrem. Et S. Gregorius in Pastoralis
p. 3. cap. 1. admonit. 5. Pie, inquit, subditorum
mentes Præpositorum vitia nullo lingua gladio per-
cutiunt, etiam dum de imperfectione reprehendunt.

⁵⁵
Secundò, vt nunquam reprehendantur cor-
am aliis, etiam iis quibus eorum vitia nota
sunt: quia hoc reuerentiæ iis debita repug-
nat, & auctoritatem minuit, atque ita com-
muniter potius mentem exasperat, quàm vi-
tia corrigit. vnde patet principum ac magi-
stratum vitia, multò magis Prælatorum, non
esse publicè pro concione reprehendenda,
quia ea ratione illi grauius exacerbantur, &
subditi à reuerentia & obedientia iis debita
auertuntur. Excipe casum quo illi alios à vera
in Deum fide, aut à reuerentia & obedientia
Ecclesiæ debita auerterent: tunc enim vt im-
pediatur aliorum ruina, publicè arguendi sunt,
præsertim quando priuata monitione nihil
proficeretur.

⁵⁶
Tertiò, vt non quiuis officium eos corri-
piendi sibi assumat; sed illi qui aliqua aucto-
ritate apud eos valent ob probitatem morum,
aut opinionem prudentiæ, &c. nam si alij eos
corriperent, nihil proficerent.

Quartò, vt capientur commoda tempo-
ra, quando illi creduntur optimè dispositi
ad correptionem suscipiendam: & hæc quan-
doque per ambages, quibus eorum animus
ad eam disponatur, inchoetur: prout fecit
Nathan reprehensurus Dauidem 2. Regum 12.
Posset etiam hîc disputari an teneamur corri-
pere peccantem, quando nullum est pericu-
lum relapsus; sed de hoc commodius agam
dub. 6.

D V B I V M V.

Quinam obligentur hoc præcepto?

⁵⁷
Suppono hîc Primò, non solos Prælatos ad
corripiendos peccantes obligari, sed gene-
ratim omnes eos qui ad hoc idonei sunt, &
sperant se posse proximum sua correptione
emendare, modò id commodè fecerint.
Quia, vt dicitur Ecclesiastici 17. v. 11. Deus
mandauit unicuique de proximo suo, vt scilicet
peccantem corrigit: vt ostendi suprà num. 8.
& Matthæi 18. iubemur corripere fratres pec-
cantes. Et ratio est clara, quia omnes om-
nino tenentur amare Deum & proximum,
& consequenter quantum commodè pos-
sunt, tenentur iniuriam Dei & malum proxi-
mi impedire; peccatum autem, præsertim
mortale, continet iniuriam Dei, & graue ma-
lum proximi.

⁵⁸
Suppono Secundò, Prælatos siue Superio-
res præsertim Ecclesiasticos præ aliis longè gra-
uius obligari ad corripiendos subditos pec-
cantes. vnde D. Augustinus libr. 1. de Ciuitate
cap. 9. de hac correptione agens: Qua in re, in-
quit, non vtique parem, sed longè grauiorem habent
causam,

1. Tim. 5.

Gregor.

Superiorum
vitia non de-
bent publicè
reprehendi.

2. Reg. 12.

Ecclesi. 17.

Matth. 18.

Prælati præ
aliis tenen-
tur peccan-
tes corripe-
re.
August.

Ezech. 33. causam, quibus per Prophetam (scilicet Ezechielem cap. 33.) dicitur: Ille quidem in peccato suo morietur, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram. Ad hoc enim speculatores, hoc est populum Præpositi, constituti sunt in Ecclesiis, ut non parcant obiurgando peccata. Nec ideo tamen ab huiusmodi culpa penitus alienus est, qui licet Præpositus non sit, in eis tamen, quibus vita necessitate coniungitur, multa monenda vel arguenda novit, & negligit. Quo loco utrumque nostrum suppositum asserit. Ex quibus autem capitibus Superiores præ aliis ad hoc obligentur, dicemus inferius.

His positis est difficultas, Primò, an peccatores teneantur alios correre. Videntur enim ad hoc non teneri, sed ab eo potius prohiberi. Primò, quia psalm. 49. dicitur: Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum: ubi talis quasi malè agens reprehenditur. Peccator autem alium peccantem reprehendens, enarrat Dei iustitias, siue legem & mandata, ostendendo peccantem contra hæc facere. Item Roman. 2. dicitur, Propter quod inexcusabilis es, o homo, omnis qui iudicas: in quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis, que iudicas: atqui qui corripit peccantem, hunc iudicat: ergo seipsum condemnat, si in iisdem peccatis sit. Similia habent quidam Patres, quos citat D. Thomas 2. 2. q. 33. a. 5.

Probatur deinde ratione. Primò, quia qui alterum corripit, suo facto ostendit se eo esse perfectiorem, aut saltem carere eo peccato quod in illo reprehendit: atqui hoc in peccatore est falsum & hypocriticum: ergo est peccatum. unde etiam Matth. 7. v. 4. vocatur hypocrita, qui habens in oculo suo trabem, id est gravius peccatum in sua conscientia, monet fratrem ut eiiciat festucam, siue leuius peccatum ex oculo, siue conscientia sua: & iubetur prius eiicere trabem ex suo oculo, quam monere fratrem: ergo si saltem, qui gravius peccatis sunt obstricti, malè faciunt corripiendo alios, nisi prius se emendent. Quem locum tractans D. Augustinus libr. 2. de sermone Domini in monte col. 11. ante finem, dicit: Et bene ait, hypocrita; accusare enim vitia officium est bonorum virorum & beneuolentium: quod cum mali faciunt, alienas partes agunt: sicut hypocrita qui tegunt sub persona quod sunt, & ostentant in persona quod non sunt.

Probatur Secundò, quia peccator est ineptus qui alium corripit, saltem eum qui eius peccatum nouerit; quia hic non mouebitur illius auctoritate ut se emendet; sed eius dicta tanquam ridicula excipiet. Si enim ebrius vel alteri persuadere abstinentiam, risum potius quam ebrietatis odium concitabit. Imò correptus sæpè putabit alterum id facere ex hypocriti, ut se ostendat sanctiorem, atque ita eum potius scandalizabit quam corrigeret. Nec enim facile poterit cogitare ipsum hoc facere ex caritate, aut zelo honoris Dei; nam si his ageretur, seipsum prius corrigeret, cum ad hoc magis obligetur, & facilius sit corrigere seipsum quam alium.

Sed cum D. Thomas supra & communi sententia dicendum est, peccatorem quandoque ex caritate teneri alios correre, quando commodè & cum spe fructus id facere potest. Probatur, quia, sicut peccatores ratione sui status non exultantur quo minus teneantur Deum & proximum opere & veritate diligere, prout præcipitur 1. Iohan. 3. v. 18. ita nec excusantur, quo minus Dei & proximi mala teneantur impedire, quando commodè possunt: quia si hoc non faciunt, non diligunt opere & veritate. eos autem hoc quandoque ita facere posse, patet ex solutione obiectionum.

Ad primum locum Scripturæ ex psalm. 49. Respondeo ibi propriè non reprehendi peccatorem quod enatier iustitias siue mandata Dei: sed quod tali modo ea enaret; scilicet, Primò, manendo in suis peccatis, & contraria omnia faciendo. unde subiungitur: Tu vero odisti disciplinam, & proiecasti sermones meos retrorsum, &c. Secundò, ex quadam hypocriti & iactantia, ut ea ratione ostendat se esse iustum & Deo placere, nec debere timere eius punitionem. unde subiungitur: Existimasti inique, quod ero tui similis: (scilicet perpetuo dissimulando & occultando tuam impietatem, nec eam per punitionem inquam propalando) arguam te, & statuam contra faciem tuam. scilicet peccata tua, ea palam puniendo. Idem est sensus loci citati ex Apostolo: solum enim vult tales se commendare, siue palam ostendere se esse dignos supplicio, dum in aliis indicant, quæ ipsi perungi facere: atque ita se reddunt omnino inexcusabiles.

Hinc patet malè aliquos ex hoc loco colligere, iudicem peccatorem siue secularem siue Ecclesiasticum peccare si alios iudicialiter corripit siue puniat: hoc enim verum non est, nisi fortè quando eius peccata sunt publica, & ex tali facto grave scandalum creditur securum: quod rarissimum est, præsertim in iudice seculari.

Ad argumenta ex ratione allata, Respondeo ea solum probare, peccatorem aut peccare, aut inefficaciter alios correre, quando minus recta intentione, aut modo minus conuenienti id facit. quare ut id rectè faciat, ipse debet hoc facere cum magna humilitate, & ostensione displicentiæ proprii peccati: prout pulchrè docet D. Augustinus lib. 2. de sermone Domini loco supra citato, ubi ait: Si autem cogitantes nosmetipsos inuenierimus in eo esse vitio, in quo est ille quem reprehendere parabamus, non reprehendamus neque obiurgemus; sed tamen congemiscamus, & non illum ad obtemperandum nobis, sed ad pariter cauendum inuitemus. fatendo scilicet nos similiter atque illum peccasse, sed simul significando nos iam penitere peccati, ac nos firmiter statuere hoc in posterum cauere; eumque hortari ut idem propositum nobiscum suscipiat. Quo facto non possumus alium non bene edificare; & si seriò agamus, sæpè continget ut eum efficaciter ad penitentiam moueamus.

Nec ad hæc opus est nobis interius verè de peccatis conteri: sed sufficit nos exterius ostendere dolorem de peccato commisso, &

59
An peccatores teneantur peccantem correre.
1. psalm. 49.

Rom. 2.

D. Thom.

60

Matth. 7.

August.

61

& propositum id in posterum vitandi, eaque, ne mentiamur, aliquid interius concipiamus.

Vltimum tamen argumentum satis probat peccatorem quandoque per accidens excusari ab altero corripiendo, cui suum peccatum est notum, eo quod hac ratione eius auctoritas apud eum exigua planè sit; atque ita ipsius correptione aut verè futura sit inefficax, aut saltem credatur futura talis. Et hac ratione sæpè multi præsertim rudes ac viles homines alios non corripiendo à peccato saltem graui excusantur. Sæpè tamen contingit contrarium, vt quando corripiendus est satis bonæ voluntatis, & ex sola infirmitate, aut data occasione peccat: maximè si alterius exemplo ad hoc fuit inductus: aut si hunc valdè amet, aut aliquam ob causam magni faciat: tunc enim eius auctoritate facile in bonum flectitur.

66

Caietan.
Nauarr.

Non omnis
exercens
actum Ordinis
in peccato
mortaliter
peccat mortali-
ter.

Posset hinc præterea disputari, vtrum existens in peccato mortali posset alios pio concione corripere: Caietan. eum 2. 2. quæst. 187. art. 1. Nauarrus in Summa cap. 25. numer. 141. & quidam alij autem id facientem peccare mortaliter. Sed ex alio fundamento, quia nimirum putant omnem exercentem actum Ordinis Sacri in peccato mortali peccare mortaliter; & concionari esse actum Ordinis sacri: quatenus ex præcepto Ecclesiæ folis Sacerdotibus & Diaconis licet concionari. Sed hoc fundamentum satis refutauit tomo 1. de Sacramentis quæst. 64. art. 6. dubio 1. vbi ostendi exercentem actum Ordinis in statu peccati mortalis, non peccare mortaliter, nisi conferat aliquod Sacramentum: nisi fortè sit aliquod scandalum. Nam ratio cur ita administrans Sacramenta in peccato mortali peccet mortaliter, est, quia talis in persona Christi, eius merita & sanguinem dispensat, quæ moraliter in Sacramentis continentur; quod maxime dedecet fieri ab inimico Christi & mancipio diaboli. quæ ratio nullo modo conuenit in exercentem alios actus alicui Ordini annexos; qui cum non contineant in se tantam sanctitatem, hanc non ita requirunt in eo qui illos exercet.

67

D. Thomas.

Ad quæ præ-
alios oblige-
tur Prælati
quoad cor-
reptionem
fraternam.

Secunda difficultas est, vtrum Prælati hac in re ad aliquid obligentur, ad quod non obligantur alij. Quia in re cum D. Thoma 2. 2. quæst. 33. artic. 2. ad 4. & communi sententia dicendum est, Prælatos aliosque Superiores teneri non solum corrigere peccata, quæ casu aliquo vident à subditis fieri, aut ab ijs facta cognoscunt, sed etiam inquirere in vitam subditorum, vt videant si quæ in ijs fortè corrigenda sint. Nisi enim hoc facerent, subditi facile impune peccarent, cum facile ipsis esset cauere ne in conspectu Prælati peccarent; & facile sibi persuaderent alios per se sine Superioris inquisitione ipsos non delaturos: atque ita cum maximo boni communis (quod Superiores tenentur conseruare) detrimento omnia scaterent peccatis, & rigor disciplinæ omnino dissolueretur. Confirmatur ex D. Gregorio, qui libr. 2. Registrum

Gregorius.

Coninck de act. supernat.

epistola 52. ait: *Qua potest esse pastoris excusatio, si lupus oues comedat, & pastor nesciat?* Vbi docet, Superiorem non corrigentem suorum vitia non excusari per hoc, quod nesciat ea fieri (quoties scilicet aliqua ratione id scire potuerit:) quod verum non esset, si non teneretur in vitam subditorum inquirere. Ad quod non tenentur ij qui Superiores non sunt: de quibus ait D. Augustinus sermone 16. de verbis Domini initio: *Admonet nos Dominus noster non negligere inuicem peccata nostra; non querendo quæ reprehendas, sed videndo quæ corrigas.* Præterea tenentur quandoque Prælati corripere subditos, etiam non sperentemendationem; vt dicam dubio 6. numer. 106. & sequentibus.

August.
Soli Superiores tenentur inquirere vitia, quæ corrigant.

68

Hinc nascitur Tertia difficultas, vtrum, quod Superiores strictius, & ad plura hac in re obligentur, nascatur ex virtute caritatis, an verò ex virtute iustitiæ. Caietan. 2. 2. quæst. 33. art. 2. putat eam obligationem qua illi tenentur ad inquirendum in peccata subditorum, vt ea corrigant, nasci ex sola virtute iustitiæ.

Caietan.

Probatur Primò, quia illi ratione sui officij ex iustitia obligantur procurare non modò bonum communitatis, sed etiam cuiusque subditi in particulari: ad quod omnino necessaria est eiusmodi inquisitio: vt ostendi num. 67. & patet experientia.

Secundò, quia Superior non tenetur ad eiusmodi inquisitionem nisi quatenus Superior est, & ratione officij: atque officium non inducit erga alios nouam obligationem caritatis, sed obligationem iustitiæ: ergo illi ad eiusmodi inquisitionem non tenentur lege caritatis, sed lege iustitiæ.

Tertiò, quia præceptum dandæ eleemosynæ corporalem neminem obligat vt quærat aliquos quibus eam det, sed solum vt sibi occurrentibus indigis eam det: ergo præceptum correptionis fraternæ, quatenus est præcisè præceptum dandæ eleemosynæ spirituale, neminem obligat vt quærat quod in alijs corripiat, sed solum vt ea indigenti, quando ipsi occurrat, eam impendat.

Contrà verò Lorca hic disput. 42. numer. 4. putat hanc obligationem provenire ex sola virtute caritatis. Primò, quia officium Superiores obligat vt etiam ex caritate subditos corrigant. Secundò, quia cum correptione fraterna quæ talis sit actus caritatis, eius obligatio non potest oriri nisi ex virtute caritatis. Vnde ipse infert, Superiorem culpabiliter omitterentem correptionem fraternam subditi peccare quidem notabiliter grauius, quàm peccaret si non esset Superior: non tamen peccato alterius speciei.

69

Lorca.

Sed dicendum est Prælatum sine Superiorem Ecclesiasticum ex vtraque virtute teneri & ad corripiendum subditos peccantes, & ad inquirendum in eorum vitia vt ea corrigat. Ita cum alijs Valentia hic disput. 3. quæst. 10. Valentia puncto 3.

70

Vbi Nota Primò, Prælatum ratione officij sui non solum esse subditorum suorum Superiorem, acquirendo in eos aliquam iurisdic-

Ccc

Cio-

Praelatus est
simul Superi-
or & pater
subditorum,
ideoque
dupliciter
obligatur
illis prospice-
re.

tionem, sed etiam constitui eorum spiritua-
lem patrem. Hinc ratione prioris acquirit
quoddam ius eos gubernandi, iisque quædam
imperandi; & vicissim hi acquirunt in eum
ius ut ipse primò bonum commune, deinde
etiam cuiusque in particulari pro ratione sui of-
ficij procuret. Ad hoc enim eiusmodi officia
sunt instituta, & cum hac conditione confe-
runtur & acceptantur; atque ita mutua hæc
obligatio inter Superiorem & communita-
tem nascitur ex quodam quasi tacito contra-
ctu, atque ita est obligatio iustitiæ. Ratione
verò secundi acquirit nouam quamdam con-
iunctionem & quasi specialem cognationem
cum suis subditis: ex quo fit ut ex virtute car-
itatis obligetur longè strictius & appretiati-
uè magis eos diligere, & eorum bonum pro-
curare, quam aliàs obligaretur, ut commu-
niter omnes faterentur, & patet ex dictis disp. 25,
dub. 8. vbi ex sententia D. Thomæ, & ferè com-
muni ostendi nos teneri appretiatiuè magis dili-
gere nobis coniunctiores; hic autem est maxi-
ma spiritualis coniunctio.

D. Thom.

71
Priuatus com-
muniter il-
licite in-
quit vitia que
in alijs cor-
rigat.

Prov. 24.

Nota Secundò, priuatum, cui aliorum cu-
ra non est commissà, non solum non obligari
inquirere de aliorum vitijs ut ea corripiat; sed
communiter malè facturum si id faceret: nam
hac ratione alios turbaret, & ad indignatio-
nem & varias suspiciones concipiendas exci-
taret. vnde Prouerb. 24. v. 15. monemur, ne qua-
ramus impietatem in domo iusti, neque vaste-
mus requiem eius.

Ex quo sequitur, Superiores ratione sui of-
ficij acquirere quamdam facultatem vtendi ali-
quo medio utili ad alios emendandos, scilicet
illa inquisitione in eorum mores, quo medio
non Superiores vt non possunt.

72

Nota Tertiò, ex dictis supra disput. 24. nu-
mer. 139. & alibi sapius, amorem appretiatiuè
maioris, siue quòd vnus alio magis appre-
tiatiuè aliquid amet, in hoc propriè consistere,
quòd ipse pro ea reacquirenda paratus sit plu-
ra facere aut pati, siue maiores difficultates
subire, quam alius. Ex quo sequitur, eum
qui tenetur emendationem proximi præ alijs
magis appretiatiuè amare, etiam teneri pro ea
procuranda plura facere pluraque media assu-
mere. Sicut quia filius Petri ex caritate tenetur
huius vitam præ extraneis appretiatiuè magis
amare, tenetur pro ea conseruanda multa face-
re, ad quæ alij non obligantur.

73

Nota Quartò, sæpè contingere vt quis per
accidens ratione suæ conditionis, quæ darei
maioris facultatem aliquem iuuandi, ex cari-
tate teneatur huic aliquid præstare, ad quod
alij, qui eam facultatem non habent, non te-
nentur. Hinc diues sæpè tenetur alicui indi-
genti dare eleëmofynam, cui pauperes ni-
hil tenentur dare: & qui magna est auctori-
tate apud aliquem sæpè tenetur eum peccan-
tem corripere, cum alij ad hoc non tenean-
tur; eò quòd illius correptio credatur pro-
futura, & horum potiùs obfutura. Quibus
casibus dictos ad illa præ alijs faciendā non
obligant diuitiæ vel auctoritas; sed hæc sunt
solum conditio quædam requisita, qua po-

sita caritas eos immediatè obligat vt ista fa-
ciant.

Et ex his patet clara ratio nostræ assertio-
nis. Nam ex priore parte notabilis primi aper-
tè sequitur, Praelatum teneri ex iustitia pro-
curare emendationem subditorum & quan-
tum ad hoc necesse est, eorum vitia corripe-
re, & in eorum mores prudenter inquirere,
saltem quatenus hæc valde necessaria sunt aut
multum conducunt ad bonum commune pro-
curandum & conseruandum. cui omnino ex-
pedit, imò necessarium est, vt particularium vi-
tia emendentur. Atque ita Praelatus ad hæc fa-
cienda ex iustitia obligatur saltem ipsi commu-
nitati.

Quod addo, quia mihi valde probabile est
eum saltem communiter non obligari ex iusti-
tia ipsis peccantibus vt eos corripiat; quia hi
hoc communiter non cupiunt fieri: nemo au-
tem mihi obligatur ex iustitia aliquid præstare
quamdiu non cupio ipsum hoc mihi præstare;
sicut non teneor meo creditori soluere quam-
diu non cupit me hoc facere.

Quandoque tamen contingit, vt ipsi sub-
diti cupiant sibi eiusmodi officia impendi, vt
ita iuuentur ac emendentur: quando scilicet
sunt bonæ voluntatis & cupiunt emendari &
ad hoc iuari; præsertim quando peccant ex
aliqua ignorantia etiam culpabili, quæ tamen
sit causa ipsius actus mali. Et hoc casu credo
Superiorem etiam his in particulari obligari
ex iustitia eos corripere, & in eorum vitam in-
quirere.

Ex alijs verò notabilibus apertè sequitur,
Praelatum teneri etiam ex caritate non solum
ad delinquentis subditi correptionem, quod
omnes faterentur, sed etiam ad inquirendum
in ipsius mores, quantum hoc ad eius corre-
ctionem necessarium est. Ad hoc autem cari-
tas eum ex duplici capite præ alijs obligat.
Primò, quatenus ratione sui officij habet fa-
cultatem vtendi eiusmodi medio ad alterius
correctionem commodo: quam facultatem
alij non habent, ideoque ad illud non obli-
gantur; iuxta dicta numer. 73. Quamuis au-
tem officium Praelati sit, conditio requisita, at-
que adeò causa cur habeat facultatem vtendi
eo medio ad emendationem fratris valde
commodo; tamen posito quòd eam faculta-
tem habeat, non solum officium, sed etiam
caritas eum obligat, vt eo medio, dum expedit,
vtatur. Secundò, quatenus ratione ma-
ioris coniunctionis cum peccante tenetur
huius emendationem appretiatiuè magis a-
mare, & consequenter ad eam procurandam
vti quibusdam medijs, ad quæ alij non te-
nentur.

Ex his etiam facile erit respondere argumen-
tis Caietani & Loræ, quatenus nostræ senten-
tiæ repugnant.

Ad primum argumentum Caietani positum
numero 68. Respondeo id solum probare, Prae-
latos teneri ex iustitia ad eiusmodi inquisi-
tionem, quod etiam nos concedimus: nullo autem
modo probare ipsos ad idem non teneri ex ca-
ritate.

Ad

Ad secundum, nego minorem; nam officium ex duplici capite ad aliquid de nouo ex caritate Superiorem obligat, vt ostendi n. 76.

78 Cur castas potius obliget Prælatus vt querat quæ corrigat, quàm quibus det elemosynas.

Tenemur sapè quære- re igno- res fidei, vt eos doceamus.

Ad tertium, nego consequentiam. Et ratio diuersitatis est, quia non tenor saltem communiter dare elemosynam corporalem, ei qui non cupit eam à me recipere. Cupientes autem eam recipere communiter satis se offerunt ad eam recipiendam, idè quod non est opus eos quæ- re. Secus est in correptione fraterna: nam qui hac indigent, non solent se ad eam recipiendam offerre; & communiter tenor eam impendere etiam ijs, qui non cupiunt eam sibi impendi: nam peccantes communiter non cupiunt corripi. Idem sapè contingit in docendis rudibus mysteria fidei scitu necessaria, quos sapè tenemur in agis, filijs ac tuguriolis latentes quære; immò quando ad hoc adest potestas, quandoque cogere vt eiusmodi elemosynam recipiant: qui aliàs numquam talia dis- ferent.

79 Tenemur quandoque quære in- digentes elemosyna corporali.

Addè, antecedens non esse generatim verum: nam quando aliquis diues probabiliter seiret in sua vicinia aliquos ab omnibus deserts laborare extrema inedia, qui non possent egredi ac elemosynam petere; teneretur eos inquirere, ac elemosynam ipsis impendere. Item si seiret aliquem in loco secreto se abscō- disse, vt ibi seipsum inedia, laqueo aut alia ratione interficeret; teneretur ex caritate, quan- tum sine graui incommodo possem, eum inqui- rere, vt eius vitam seruarem, atque ita ei ele- mosynam corporalem impendere. Quæ maxi- mè locum habent in Prælati respectu suorum subditorum.

80 Lorca.

Ad primum argumentum Lorca possum n. 69. Respondeo id solum probare obligationem correptionis fraterne, præcisè qua talis est, ori- ri ex sola caritate, quia hæc vt sic considerata præcisè respicit fratrem, qua talem, & quate- nus corripiendi nullo modo subiectum; cum quo optimè consistit correptionem delinquen- tis, etiam quatenus immediatè præcisè spectat huius emendationem, (& quod ad hoc habet rationem correptionis fraterne, & ex caritate est debita) esse simul actum iustitiæ, & corripiendi Superiorem ad eam ex iustitia obligari; vt patet ex dictis supra.

81 Ex dictis sequitur Primò, præsertim quod ar- tinet ad obligationem caritatis, eandem esse rationem omnium eorum, quibus ex officio in- cumbit procurare aliquorum salutem & profec- tū spirituale. Quales sunt nō modò Pastores, respectu eorum qui in ipsorum parochia habi- tant; sed etiam confessarij, respectu poenitentiu, siue sibi consentientium, præsertim dum hi con- fitentur; parentes, respectu filiorum; tutores, respectu pupillorum; ludimagistri, respectu discipulorum; patresfamilias, respectu domesti- corum, &c. hi omnes saltem ex caritate, & sal- tem ijs, qui pro suo officio stipendium recipiūt, etiam ex iustitia, tenentur pro ratione sui offi- cij subditorum vitia corrigere, & quantum ad hoc est necessarium, & prudenter iudicatur ex- pedire, in eorum vitam inquirere, quia tenen- tur horum emendationem præ alijs appetia-

Coninck de alt. supernat.

tiuè magis diligere; atque ad eò cum ratio- ne officij sui habeant ius ad eiusmodi inqui- sitionem, tenentur ad illorum emendationem, prout ratio dicat, eo iure vt; iuxta dicta num. 72. & 73.

Sequitur Secundò, Prælatos, aliosque, præser- tim qui ex iustitia tenentur subditos delinque- res corrigere, si id culpabiliter omiserint, de- bere hanc circumstantiam, siue quòd eo modo sibi subditos omiserint corrigere, in confessio- ne explicare, quia hæc circumstantia mutat spe- ciem peccati: nisi fortè ex notitia personæ & circumstantijs confessus hanc circumstan- tiam per se facillè intelligat. Ita Valentia 2. 2. disput. 3. quæst. 10. puncto 3. sub finem. Imò quia in alijs Superioribus hæc circumstantia sal- tem valdè aggrauat peccatum, valdè probabile est ipsos teneri eam in confessione explicare; iuxta ea quæ docui rom. 2. de Sacram. disp. 7. du- bio 3. concl. 1.

Sequitur Tertio, Religiosos, sacerdotes, aliosque qui vitam perfectiorem suo statui profi- tentur, etsi non obligentur inquirere peccata quæ corripiant; strictius tamen quàm alios ex caritate obligari vt occurrentes sibi peccantes corripiant. Primò, quia hi ratione sui status strictius tenentur Dei honorem, & proximi sa- lutem spirituale diligere & procurare. Secun- dò, quia ipsi sunt communiter maiore auctori- tate apud alios, atque ita maiore libertate & spe fructus possunt alios corrigere, atque ita sapè ad hoc obligantur, quando alij ob defectum talis spei à correptione excusantur. Et hæc secun- da ratio militat in omnibus ijs, qui magna sunt auctoritate apud peccantes. Tertio, quia com- munitè sunt, aut saltem deberent esse, diiores & instructiores in rebus spiritualibus, idè quæ aut habent, aut deberent habere, maiorem fa- cultatem dandi eiusmodi elemosynas spiri- tuales; & consequenter ad hoc præ alijs obli- gantur, sicut diuites magis obligantur dare ele- mosynas corporales, quàm pauperes. Et ex his etiam capitibus Prælati præ alijs tenentur alios peccantes etiam non subditos corrigere; quia quod hic dixi de profitentibus vitam perfe- ctorem, omni ex parte etiam in Prælatos con- uenit, quibus ipsum officium magnam auctori- tatem confert, & ab ijs vitam perfectiorem exigit.

Notatandem, eos quibus ex officio com- petit in aliorum mores inquirere, hoc ita mo- deratè & prudenter debere facere, vt non dent alijs iustam causamurbationis. Quod faci- lè accideret, si nimis sapè, præsertim sine graui causa, in aliquorum vitam patricularim inqui- rerent: nam sic significarent se de his habere malam opinionem. Item si nimis facillè, qui- busdam leuibus indicijs, aut alium leuiter de- ferentibus crederent; atque ita ad correptionem procederent: & præsertim si accusato- rum innocentiam probanti, aut nullo modo, aut difficulter crederent. Item si nulla præce- dente infamia, aliòve probabili indicio in- quirerent an talis aut talis in particulari hoc, aut illud peccatum commisisset. Talis enim inquisitio est signum inquirentem suspicari

Ccc 2

alte-

alterum id commisisse, (quod sine iusta causa iniuste & cum alterius iniuria faceret.) item dat interrogatis minus prudentibus causam aperiendi aliqua fecerit alterius peccata, quæ aperire non poterat; quod inquisitor, quantum cōmodo potest, debet cauere. Plura hac de re vide apud Lessium de Iustitia cap. 19. dub. 12. 13. & c. ubi fusè explicat modum, quem Superiores in subditorum vitam inquirentes debeant seruare, cuius explicatio propriè ad hunc locum non spectat.

Lessius.

D V B I V M VI.

Quando obliget præceptum correptionis fraterne

85

Cum hoc præceptum sit affirmatiuum, satis constat id non obligare pro quouis tempore (clarum enim est nos non teneri continuò proximum corrigere) sed solum positis certis quibusdam conditionibus: quare hic queritur quanam conditiones requirantur, ut hoc præceptum obliget.

Quidam has cōditiones valdè multiplicant, & ponunt primò quasdam in quibus non obligat, deinde alias in quibus obligat. Sed priores frustra ponuntur; nam quando constat de secundis, siue quando satis cōstat quanam conditiones requiruntur, ut obliget, facile erit videre quando non obliget, scilicet quoties una ex his deerit. Alij quasdam inter has cōditiones enumerant, quæ verè non sunt tales, sed solum spectant ad modum, quo in hac correptione procedendum est.

Alij easdem valdè contrahunt, & ad paucas redigunt: sed sub vna plures cōprehendunt, quæ tamen sub illa nō omnino cōtinentur, ut ex dicendis parebit; & alias sub alio titulo explicant. Quare omisissis eorum sententiis, quas licebit videre apud Lorcam hic disp. 44. & Valentia disp. 3. qu. 10. puncto 2. eas conditiones hic ponam, quas puto, maximè ad rem pertinere: & quæ circa eas controuersæ sunt, in earum explicatio-
ne discutiam.

Lorca.
Valentia.

86

Respondeo igitur, ut hoc præceptum obliget, requiri ac sufficere quinque conditiones infra ponendas. Prius tamè Norandū est, nos hic præcipuè agere de casu, in quo proximus est corripiendus ob peccatū mortale. nam quādo solum peccauit venialiter, nō ita constat an obligemur eū corrigere. Et posito, prout suprà docuit, quòd quandoque ad hoc teneamur, facile ex dicendis colligetur quando ad hoc teneamur.

87

Prima cōditio est, ut moraliter aliquo modo constet proximum tale peccatū, quod statui-
mus corrigere, commisisse. Ita Soto lib. de regendo secreto membr. 2. q. 2. concl. 4. Gerson tract. 24. de Vita spirituali. Altiensis in Summa lib. 2. r. 6. c. 4. Nauar. c. 24. n. 12. & Lorca suprà n. 4.

Soto.
Gerson.
Altiens.
Nauar.
Lorca.

Quidam tamè putant sufficere quòd dubitemus an alter tale peccatū commiserit. Primò, quia tenemur dare eleemosynam corporalem ei, de quo dubitamus an ea indigeat: ergo tenemur etiam corrigere eum de quo dubitamus an peccauit. Secundò, quia caritas exigit ut non

relinquamus proximum in periculo ruinæ, quādo dubitamus an peccauerit. Ita cum quibusdam alijs Adrianus in 4. tra. & de correptione fraterna, §. Sed hac opinio.

Adrian.

Sed hac argumenta ut summum probant, caritatem postulare, ut, quando dubitamus, aut saltem probabiliter suspicamur proximum esse in aliquo graui malo aut periculo, conemur eum eruere, quando id facile & sine vilo incommodo alicuius momenti fieri potest. Secus est quando id fieri nequit sine graui incommodo, & præsertim si sit maius periculum ne ei noceam, quàm spes ut prosim; tunc enim, ut patet bit ex dicendis, teneor correptione abstinere. Illud autem in præsentī casu accidit, quoties est dubium, aut etiam vtrūque æquè probabile, an proximus illud peccatū commiserit, quod in eo videtur reprehendendum.

88

Patet autem hoc Primò, quia correptio est per se odiosa, & communiter dura ei qui corripitur, & plurimis valdè difficile est eam, præsertim ab æquali, æquo animo ferre; vnde nisi valdè prudenter fiat, facile correpti animum exasperat, maximè si hic de facto sit innocens, aut credat alteri non constare de suo peccato; tunc enim facile eum habet pro calumniatore, aut saltem nimis suspicioso.

Periculum
corrip-
tionis
peccatum
de quo du-
bitamus
an sit

Hinc illud prob. Secundò, quia si corripimus proximum quando est dubium an peccauerit, exponimus nos periculo, ne aut simus calumniatores, aut nimis suspicaces, aut saltem ne tales ab alijs arguamur. Item exponimus aliorum periculo, ne vehementius in nos cōmotus grauius peccatum committat, quàm sit illud quod volumus corrigere. Hinc etiam Eccli. 11. Scriptura optimè nos monet; *Priusquam interroges (id est antequam rem certò exploraueris) ne vituperes quemquam: & cum interrogaueris, corripe iuste.* Et ob hanc etiam causam Proverb. 24. monemur non querere iniquitatem in domo iusti, ut scilicet discamus nos multò minùs eam tamquam inuentam debere arguere, antequam cōstet eam ibi esse. si enim sit valdè odiosum, ideòque cōmuniter illicitum, aliquem priuacim inquirere an alius peccauerit, multò magis odiosum est ipsum arguere fratrem tamquam peccatorem, antequam hoc ei constet.

Eccli. 11.

Proverb. 24.

Secunda cōditio est, quòd sit probabilis spes finctus siue emendationis ipsius fratris. Hanc cōmuniter omnes requirunt. Et ratio est clara, quia aliàs esset omnino inutilis correptio, & corripiens esset similis medico qui daret agro inuito amaram medicinam, quam sciret nullo modo ei profuturam: quare corripiens hoc solum videretur agere, ut alterum in se cōciteret, & gratis inuidiam subeat, & iniurias audiat. Hinc Proverb. 9. Scriptura nos monet: *Noli arguere derisorem, ne oderit te; argue sapientem, & diliget te.* Et Matth. 7. *Nolite dare sanctum canibus, neque mittitis margaritas ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, & conuersi disrumpant vos.*

90

Proverb. 9.

Matth. 7.

Hinc patet multò minùs corripiendum esse proximum peccantem, quando per correptionem creditur excitandus ut grauius peccet, v.g. blasphemando, aut nos graui odio prosequendo, &c. tunc enim correptio esset grauius noxia, ideo-

91

ideoque ea scienter adhibens grauitur peccaret, sicut is qui daret agro medicinam, quam ob certam huius dispositionem, sciret ipsi mortem allaturam. Hinc etiam D. August. lib. 2. de Ciuit. e. 9. monet nos, vt eo casu abstinemus a correptione. defectu autem huius conditionis multi sapē, & praesertim ij qui apud peccantes non sunt magna auctoritate, excusantur a peccato, dum hos non corripiunt; quia persuadent sibi se frustra id facturos. Et similiter ferē communiter excusantur a corripiendis ijs, qui publicē & ex consuetudine peccant: quia raro est spes hos emendandi.

August.

92
An teneat
corripere
quando est
dubia spes
fructus.
Valentia.
Bañez.
Lorca.

Circa hanc conditionem dubitatur Primò, vtrum corripiendus sit peccans, quando dubium est an ipse hac ratione sit emendandus, ita vt vtraque pars sit ferē aequē probabilis.

Sed cum Valentia 2.2. disp. 3. q. 10. puncto 2. Bañez q. 33. ar. 2. dub. 4. concl. 2. Lorca disp. 44. n. 9. & comuniore sententia est hic distinguendum. Nam quādo ex mea correptione omnino credo nullum damnum proximo causandum, aliudue notabile incommodum securum, teneor eum corripere, quod est probabile cum per hoc emendandum. Primò, quia quādo medicus corporalis putat medicinam profuturam, etsi hoc sit dubium, tenetur eam agro dare, modo sciat non posse obesse: ergo idem dicendū in medicina spirituali. Secundò, quia aliās vix vnquam teneamur corripere peccantes, quia vix vnquam potest nobis aliquo modo certò constare illos nostra correptione emendandos.

93 Contrā verò si ferē aequē probabile sit meam correptionem obfuturam, ac profuturam; melius eam omitto: quia medicus imprudenter dat agro amaram medicinam, quando aequale est dubium an oberit aut proderit. & tunc ferē maius est periculum in huiusmodi correptione adhibenda, quā in omittēda: quia si omittas, peccans solum in suo peccato continuando aut repetendo perseuerabit; si verò adhibeas, fortē multò grauiora prioribus adiunget.

94
In emendan-
do mox mori-
turus, vt si
mors ei instaret:
tunc enim quia
extremum imminet
periculum, non solum
aeterni
supplicij, sed etiam
infinitorum &
grauissimorum
peccatorum, quā
talis damnatus tota
aeternitate
committet, extrema
etiam tentanda
sunt: sicut etiam
agro prudenter datur
periculosa
medicina cum aliqua
spe salutis, quando
aliās eius desperata
est salus. Ita Adrian.
in 4. tract. de
correptione fraterna, §. Quoad 2. partem. &
Bañez supra concl. 3.

Excipe casum, quo peccans cessante correptione omnino crederetur in peccato suo moriturus, vt si mors ei instaret: tunc enim quia extremum imminet periculum, non solum aeterni supplicij, sed etiam infinitorum & grauissimorum peccatorum, quā talis damnatus tota aeternitate committet, extrema etiam tentanda sunt: sicut etiam agro prudenter datur periculosa medicina cum aliqua spe salutis, quando aliās eius desperata est salus. Ita Adrian. in 4. tract. de correptione fraterna, §. Quoad 2. partem. & Bañez supra concl. 3.

Adrian.

Bañez.
95
Quid agen-
dum quādo
correptio
initio oberit,
& postea
proderit.

Dubitatur Secundò, quando correptio putatur initio quidem obfuturam, quia peccans ex ea accipiet occasionem indignationis, & iniurias in corripientem ingerendi, aliāue peccata committendi: putatur tamen postea sedata iam ira profuturam, vtrum tunc sit adhibenda.

Adrian.
Valentia.

Adrianus supra videtur absolute docere, ralem esse corripendum, quem sequitur Valentia hic q. 10. puncto 2. §. Quarta circumstantia. vers. Est autem haec. Quibus videtur fauere D. Thom. in 4. dist. 19. q. 2. a. 2. quaestione 1. ad 5. Et videtur probari, quia minus malum est fratrem

Coninck de act. supernat.

iam aliqua peccata committere, & postea omnino emendari, quā ipsi pergere in suis peccatis haerere.

Lorca verò hic disp. 44. n. 11. docet, Primò, 96
considerandum esse an sit certa omnino spes Lorca.
futurae emendationis; deinde quanto correptus fiet in praesenti deterior, vt si putetur blasphematurus Deum, aut aliquem occisurus, aut simile graue peccatum commissurus: & tunc credit abstinendum correptione. Secus si solum leue aliquod peccatum putetur commissurus.

Idem docet Bañez 2.2. quaest. 33. ar. 6. concl. 5. (quem Lorca male citat pro sententia Adrian) 97
imò putat priorem partem illius assertionis Bañez.
esse veram, etiam si peccans crederetur periculis Lorca.
modi correptionem certò emendandus & saluandus, & sine ea certò damnandus. Quod probat, quia mihi hic & nunc in iombis Dei honorem, & proximi vitam defendere, & impedire blasphemiam ac homicidium, prout potero, & diu post futura relinquere diuinæ providentiæ.

Sed etsi haec vltima possint probabiliter dici, quando correptus ratione mea correptionis omnino creditur aliquem occisurus (quia sicut non teneor eum corripere cum periculo vitae 98
meae, vt infra in 5. conditione ostendem, ita nec Non teneor
teneor eum corripere cum periculo vitae proximi; tamen quando solum creditur blasphematurus, aut simile peccatum commissurus, quo non sit ita grauitur nociturus innocenti, aut bono communi, credo omnino dicendum, talem corripendum esse, si planè credatur posita correptione tandem aliquando emendandus & saluandus, & aliās damnandus. Et in hoc casu puto intelligendos D. Thomam, Adrianum & Valentiam supra citatos.

Non teneor
alium corri-
pere cum pe-
riculo vitae
proximi.

D. Thom.
Adrian.
Valentia.

99

Probat clarè, quia ex duobus malis semper eligendum est minus, quando vtrumque nequit vitari, praesertim si vtrumque imminet iisdem personis: atqui tam respectu Dei, quā respectu ipsius corripiendi, minus est malum hūc aliquot eiusmodi peccata, licet grauiā & Dei honori directè repugnantia, committere, quā ipsum in aeternum damnari: ergo illud praehoc est eligendum. Minor respectu corripiendi est clara, quia apertissimum est tali homini esse melius post eiusmodi peccata commissā emendatum saluari, quā sine ijs in prioribus suis peccatis haerentem perpetuo damnari, & in inferno infinita odia Dei, blasphemias, aliāque peccata, illis quā hic creditur commissurus, grauiora, magisque diuino honori repugnantia committere. Ex quo patet dictam minorem etiam esse veram, respiciendo illud vtrumque malum praecise vt repugnat honoris ac venerationi Deo debitis; quibus minus repugnat hominem dicere aliquot blasphemias, aut odia Dei elicere, & de his postea dolere, atque ita saluatam in aeternum Deum laudare; quā sine vlla poenitentia in prioribus peccatis morientem, aeternum Deum odisse ac blasphemare.

Ad argumentū Bañez, Respondeo me nō magis obligari impedire peccata repugnantia Dei honori mox futura, quā futura post multos 100
Ccc 3 annos,

annos, si æqualiter constet ea futura nisi impediam, & æqualiter sit in meapoteestate utraque impedire. Quod tamen credo humanitus & moraliter loquendo contingere non posse.

101
Diversitas
inter pecca-
ta nociva
proximo, &
aduersantia
soli honori
Dei.

Vbi Nota, quod ad rem præsentem attinet, longè esse aliam rationem peccatorum, quibus aut bono communi aut proximo grauitè nocetur, eum occidendo aut mutilando, &c. aliam verò peccatorum quibus diuinus honor etiam directè læditur, sine læsione proximi: nam per hæc non infertur Deo verè à parte rei damnum; & iniuria, quæ ei fit, per penitentiam quatenus hæc nititur meritis Christi, & ab ijs vim accipit, aliquantulum reparatur. Et in casu præsentis difficultatis eius permissio abunde compensatur euitatione infinitorum peccatorum, quæ talis aliàs in inferno committeret. Secus est de damno proximo illato, quod à parte rei verè ipsi grauissimè nocet, & est irreparabile. quare caritas ipsius postulat ut potius permittam alterum in suis peccatis hære, ex quibus si vellet posset surgere, quàm huic sciens dem occasionem illum certò occidendi.

102

Nec refert quòd Dei honor alterius perseueratione in peccatis, & blasphemijs quas in inferno committeret, grauitè sit lædendus; quia cum Deus hinc nullum à parte rei damnum patiatur, illa quæ faciliè si vellet impediret, nò vult me obligare ut cum tanto proximi damno ea impediam. Secus fortè esset quòd proximo solum immineret periculum fortunarum, præsertim si non esset tale, quo aliquis nobilis aut persona honesto inter suos loco esset ad summam paupertatem redigenda: qualia pericula respectu patientis ferè æquantur periculo vitæ: ut ostendi disp. 27. n. 135.

103

Quod autem dixi de casu quo alter ex mea correptione esset accepturus occasionem grauitè nocendi proximo in vita aut corpore, idem credo dicendum quando ipse crederetur ea occasione alium & præsertim plures omnino inducturus in hæresim aut in alia grauiora peccata, cum præsentis periculo damnationis ipsorum. Nec enim ut alterum sponte ad damnationem pergentem eripiam, debeo aliquid facere, quod scio alijs futurum occasionem perditionis, quantumuis hoc contra meam intentionem futurum sit.

104

Hactenus hæc speculatiuè & fingendo casus metaphysicos, aut fortè impossibiles, disputavi, ut clariùs ex ijs colligi posset quid ordo caritatis postulet.

Bañez.

Quòd si agamus de praxi, puro verissimum esse, quod docet Bañez supra concl. 1. scilicet quoties valdè probabiliter creditur proximus ex mea correptione hic & nunc non emendandus, sed sumpturus occasionem peccandi (exipio casum allatum n. 94. de quo hic non agitur) me communiter, & ut puto, moraliter loquendo, semper, teneri abstinere à correptione. Quia humano modo loquendo, & abstrahendo à diuina reuelatione, nequit contingere, ut sciam peccantem mea correptione pro præsentis tempore futurum peiorem, siue excitandum ad grauius peccandum, & tamen postea per eam emendandum: quia etsi prius sæpè ex eius na-

turali conditione, & præsentis constitutione moraliter certò possum conijcere; nullo tamen argumento possum conijcere secundum, saltem in eo casu, quo mea correptio hic & nunc adhibita ei ad emendationem est necessaria.

Quod addo, quia sunt aliqui eius naturæ, ut quidem subito ex aliqua re commouentur ad indignationem, & postea ad se reuerſi statim de suis factis doleant. Quos probabiliter possum conijcere initio mea monitione turbandos, & postea sedata passione compungendos; sed his longè vtilius est si correptio differatur, donec sedata passione putentur illius futuri capaces: atque ita pro tempore quo peccant correptioni non est necessaria, sed noxia. Nec refert quòd credas te postea non habiturum occasionem eos admonendi: quia si sint talis naturæ, ut post peccatum faciliè ad sui considerationem reuertantur, omnino credibile est eos alia occasione faciliè ex peccato resurgendos. Nec vilo argumento possum probabiliter colligere eos sine mea correptione grauius in posterum peccaturos, quàm peccabunt si cum dictis circumstantiis eos corripiam. Multò minus possum vilo modo probabiliter conijcere, eos sine mea correptione esse damnandos, & ea adhibita saluandos, prout in dictis casibus supponitur.

Quæ hactenus de spe emendationis ipsius corripiendi, ut teneam eum corripere prærequisita dixi, intelligenda sunt de correptione merè fraterna qua frater fratrem ob eius præcisè bonum tenetur corripere: nam in alijs correptionibus hæc sæpè patiuntur exceptionem. Primò, in correptione iudiciali, quæ assumitur ut peccata delinquentis puniantur, non tam ob huius bonum, quàm ob bonum publicum, cui expedit peccata puniri, ut alij ab ijs deterreantur: adeoque hæc correptio à Superioribus, ad quos solos pertinet, sæpè necessariò assumitur, quantumuis sciant corripiendum per eam nullo modo emendandum, sed grauius peccaturum: quia ipsi magis debent curare bonum commune, quàm vnus particularis, præsertim cum hic sua malitia sit causa cur illa correptio ipsi non proficiat.

Huc etiam referri potest illa correptio, quæ quandoque tenentur uti etiam non Superiores, quantumuis non sperent emendationem corripiendi, sed credant hunc ob eam grauius peccaturum: quando nimirum illa est necessaria ut Dei iniuria, pusillorum scandalum, aliorum peruersio, aut graue innocentis damnum impediatur. Vnde hæc correptio propriè assumitur, non ad emendationem aut punitionem delinquentis, (prout assumuntur fraterna & iudicialis) sed ad defensionem innocentis, & ad diuersa mala impedienda.

Hinc quando audio aliquem coram alijs laudantem hæresim, aut eleuantem rationes quibus nostra fides probatur, aut dicentem, aut exerceant turpia cum periculo ne illi peruerſantur; teneor eum reprehendere, quantumuis credam eum ideo secundum se peiorem futurum: modò sit spes impediendi aliorum peruersionem.

Item

Item si audiam aliquem coram alijs viro honesto grauius detrahentem, teneor eum corripere, modò sperem hac ratione impedire ne alij ipsi credant; quantumvis credam ipsum ideo grauius peccaturum.

Item si audiam aliquem coram alijs blasphemiam, si sine notabili incommodo possim, teneor eum corripere; etsi desperem eius emendationem; quia hac ratione quodammodo Deo suum honorem restituo. Ad hoc tamen non video deor teneri, quando alter ideo esset grauius blasphematurus; quia tunc mea correptione non cederet in Dei maiorem honorem, nisi forte esset necessaria ad impediendum aliorum scandalum.

109
Correptione
defensiuu.

Ex his patet, hanc correptionem esse propriè defensiuam innocentis iniuriam patientis, aut graue periculum incurrentis, & similem ei actioni, qua defendo vitam innocentis ab iniusto inuatore: quod vtendo moderamine inculpatæ tutelæ licet efacio cum inuaforis interitu; vt cum communiore sententia docet Lessius de Iustitia c. 9. dub. 13.

Lessius.

110
Correptione
paterna quæ
adque adhibenda
sine spe emendationis.
Ezech. 33.

Secundò, dicta patiuntur exceptionem in correptione paterna, quæ etsi præcipuè assumatur vt correptus corrigatur; tamen Superior tenetur ea quandoque vri, etsi desperet peccantis emendationem; vt colligitur apertè ex Ezech. 33. vbi cum Dominus constituisset Ezechielem speculatorem (quales sunt Superiores respectu inferiorum) ait illi: Si me dicente ad impium, Impie morte morieris; non fueris locutus vt se custodiat impius a via sua: ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem autem eius de manu tua requiram. Vbi Deus apertè docet, se repetiturum mortem subditi pereuntis de manu Superioris, si hic videns eum peccantem non corripuerit: idque etiam eo casu quo hic eius correptione non fuerat emendandus; vt colligitur ex sequentibus: nam subditur speculatorem fore innoxium si corripuerit peccantem, & hic se non emendauerit. vnde patet priora intelligenda esse etiam in casu, quo scitur correptum non emendandum. præsertim cum Ezechiel ibi iubeatur corripere Iudæos, quos satis sciebat non conuertendos.

111

Quod autem Superior ad illud eo casu teneatur etiam præcisè ex obligatione erga corripiendum, patet, quia ibi dicitur aliàs sanguinem non correpti pereuntis, & non solum aliorum quos ipse scandalizauerit, de manu Superioris requirendum. Et ita hunc locum apertè intellexit D. Hieronymus in commentarijs in Ezechielem. vbi eum explicans ait: Non respondeamus, Quid prodest docere, si nolit auditor facere quod doceris: vnusquisque enim ex suo animo & officio iudicabitur; tu, si locutus non fueris, ille, si audire contempserit.

Hieron.

112
Hieron.

Hortum ratio est Primò, quam insinuat Scriptura & S. Hieronymus; scilicet quia hoc spectat ad officium Superioris, qui ideo à Deo speculator constitutus est vt peccantes corripiat, cui satisfacere tenetur. Secundò, quia aliàs Superior non corripiens subditum coram se peccantem censetur in huius peccatum consentire, aut saltem timere peccantem, ideoque à repre-

hensione cessare: atque ita subditus in malitia confirmabitur, & Superiorem contemnet; quem putabit aut approbare suum peccatum, aut saltem timidum esse, & audacibus non audere resistere: atque ita sublato timoris freno liberrimè peccabit. Quod si subditus putaretur non solum non emendandus correptione, sed eius occasione grauius peccaturus, prudenter dispiciendum est, vtrum maiora mala timeantur ex correptione, quam ex eius omissione: & tunc faciendum est id quod prudens caritas suaderit etiam quandoque subditum ex graui passione peccantem non statim corripere, sed expectare donec illa transferat.

Quid agendum Superi-
ori, quando
subditus
creditor oc-
casione cor-
reptionis
grauius pec-
caturus.

113

Quando autem ex omissione correptionis timeretur aliorum scandalum (quod facile cotingeret quando peccatum est publicum, & correptione non solum differretur in commodius tempus, sed omnino omitteretur) tunc ceteris paribus illius vitandi maior habenda est ratio, quam ipsius corripiendi; præstat enim hunc solum peccare, quam multos cum eo. Hinc etiam concionatores tenentur publica peccata, aut quæ sciuntur in ijs locis crebro fieri, publicè reprehendere, etsi ea committentes credantur non emendandi: nisi forte grauiora mala timeantur; vt ferè accidit quando Superiorum peccata publicè reprehenduntur. vide dicta num. 55.

114

Tertiò, casus allati n. 96. & 97. quos n. 104. dixi respectu correptionis fraternæ non habere locum in praxi; facilius in hac paterna correptione, saltem aliqua ex parte, possent habere locum; præsertim quando Superior peccantem non solum verbis corripere, sed non obedientem etiam carcere alijsque pœnis coerceret, aut priuaret officio, quod ei erat occasio peccandi. Quod sæpè etiam spectando præcisè emendationem subditi prudenter facit, etiam eo casu, quo scit subditum per hoc initio grauius exasperandum, & aliqua etiam grauiora peccata commissurum; quia probabiliter poterit conijcere ipsum tandem pœnis frangendum, & ad cor rediturum, iuxta illud vulgare, Vexatio dat intellectum. & illud psalm. 82. Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Peccanti autem multò melius est initio paululum turbari, atque ita aliqua peccata committere, & postea perfectè emendari, quam perpetuò in ijsdem peccatis hære. Alia est ratio non Superiorum, qui dictam potestatem non habent.

Psalm. 82.

115

Tertiò, vt teneat fratrem peccantem corripere, requiritur, vt hoc sit hic & nunc necessarium ad eius emendationem. Vt contingit quando nisi eum corripiam creditor numquam emendandus, aut nimis diu in peccato hæsurus, aut sæpè idem repetiturus, aut alia eius occasione facturus. Si enim sit omnino probabile ipsum aut per se, aut per aliorum correptionem emendandum, sine periculo vterius ob meam omissionem peccandi, non est in necessitate respectu mei: atque ita non obligor, saltem grauius, ei dare eleemosynam spiritualem. Sicut proximo patienti necessitatem corporalem non teneor dare eleemosynam, quando ipse per se potest sibi necessaria acquirere, aut alij credun-

Non teneor
corrigere
peccantem
alia ratione
emendandæ.

tur sufficienter ea subministrari. Non sufficit tamen quod adiut alij, qui possint, aut etiam magis quam ego teneantur talem ex corporali aut spirituali necessitate eripere, nisi omnino probabiliter credam eos hoc facturos: nam alias sicut quod illi hoc possint & teneantur facere, non iuvat indigere, nisi id de facto faciant; ita non soluit me ab obligatione, nisi ego merito credam eos hoc facturos.

116 *Adrian.* Præcipua hic est difficultas, utrum teneatur corripere fratrem peccantem, quando credo eum alias diu mansurum in peccato commissio, etsi nullum sit notabile periculum, ne ob meam omissionem in alia peccata incidat, aut in iam commissio moriatur. Quam difficultatem alij ita proponunt.

Utum materia correptionis fraternæ sit peccatum omnino actu præteritum, quod adhuc manet reatu sine periculo relapsus. *Adrian.* in 4. tractatu de correptione fratrum. §. *Secunda propositio.* & quidam alij docent, nos in tali casu teneri corripere proximum, quia esse in peccato mortali habituali est gravis miseria, ex qua teneor proximo eripere, cum facile possum.

117 Sed omnino dicendum est, me eo casu ob peccatum actu omnino præteritum non obligari saltem grauitur corripere proximum, nisi sit morale periculum, ne alias non resurgat ex eo, quando ad hoc sub peccato mortali obligabitur, v.g. quando instabit periculum mortis, aut virgebit præceptum confitendi aut communicandi, &c. Ita Angelus v. *Correctio fraterna.* n. 1. Siluester ibidem q. 1. Lorca hic disp. 41. nu. 13. Turrian. disp. 86. dub. 2. & passim alij.

Angelus. *Siluester.* *Lorca.* *Turrian.* Probat, quia ego non magis obligor ut procurem emendationem proximi, quam ipse obligatur procurare suam: atqui, ut cum alijs ostendi tom. 2. de Sacram. disp. 3. dub. 3. ipse dicto casu medio illo tempore non tenetur sub mortali resurgere à peccato: ergo ne ego grauitur obligor per correptionem procurare ut resurgat.

118 Confirmatur, quia si sine contemptu sacramentum, aut aliquo alio sine grauitur malo, suaderem existenti in peccato mortali ne confiteretur, antequam ad hoc præcepto naturæ, aut positivo Dei vel Ecclesiæ teneretur, non peccarem mortaliter, etsi omnino crederem eum ante confessionem non iustificandum: ergo non pecco mortaliter si ex negligentia omitto eum monere ut prius confiteatur: quia minus peccat non suadens emendationem, quam eam dissuadens.

Antecedens probatur, quia per se loquendo, & abstrahendo à malo fine, ac similibus circumstantijs, non est peccatum mortale suadere alicui id quod potest sine peccato mortali facere: atqui talis sine peccato mortali potest tam diu abstinere à confessione: ergo sine mortali potero hoc ei suadere.

119 Dices Primum, Per eleemosynam corporalem sapere teneor eripere proximum ex aliqua miseria corporali, ex qua non tenetur seipsum eripere: ergo similiter potero teneri eum eripere ex dicta miseria spirituali, etsi non teneatur seipsum ex ea eripere. Respondetur, negando conse-

quentiam: quia dicta miseria spiritualis est patienti voluntaria, nam potest se ex ea eripere, si velit: corporalis verò est ei inuoluntaria, nec potest se ea liberare, ideoque caritas exigit ut eum iuuet. Quod si posset se ex hac quando vellet facile & sine maioris boni damno sine mea opera liberare, non teneret eum iuare. Quare quantum hoc exemplum facit ad rem, nostram potius sententiam probat quam contrariam, scilicet me non teneri proximum liberare ex aliqua miseria spirituali, nisi ipse aut nequeat seipsum ea liberare, aut seclusa omni ignorantia obligetur se ab ea liberare: quia nulla alia potest adferri ratio, cur ad hoc obliget. In præfenti autem casu sine mea monitione potest se facile à peccato liberare, si velit; nec tamen ad hoc intra dictum tempus grauitur obligatur.

120 Dices Secundò, esse diuersam rationem proximi existentis in peccato & mei; nam ipse semper quando voluit, poterit habere occasionem resurgendi à peccato per penitentiam; potest autem facile contingere, ut, nisi eum iam moneam ut resurgat, postea non sim habiturus occasionem eum monendi: ergo obligor eum statim monere, ne forte postea eam occasionem non habeam. Respondetur negando consequentiam. Quia, ut teneat existentem in peccato iam monere ut resurgat, non sufficit quod credam me alias non habiturum commoditatem eum monendi: sed requiritur ut etiam credam eum sine mea monitione non acturum penitentiam, quando ad hoc tenebitur; alias si credatur tunc acturus penitentiam, non est in necessitate respectu mea monitionis. Quod si tamen eo casu omnino crederem eum alias non acturum penitentiam, dum ad hoc tenebitur, aut in peccato moriturum, teneret eum statim monere ut legitime peniteat. Sed hoc vix potest contingere nisi instante periculo vitæ, aut illo suscipiente periculosam peregrinationem, aut cum videam illum sine confessione circa tempus paschæ parare iter ad locum ubi non poterit confiteri: aut in similibus casibus, in quibus fateor me teneri eum statim monere. Sed tunc etiam semper est periculum, ne non monitus in peccatum mortale aut damnationem incidat.

Ex quibus patet, peccatum præteritum proximi esse propriè materiam correptionis, iuxta dicta nu. 36. tamen, præsertim extra periculum mortis, solum peccatum impendens esse causam cur teneatur fratrem ob peccatum actu omnino præteritum corripere.

121 Quarta, requiritur temporis ac loci opportunitas: quæ diligenter captanda est, ut cum fratre peccantem corripiamus. Nam correptio, quæ vno loco aut tempore adhibita esset venenum, alias esset optima medicina. Vnde Sapientis Proverb. 25. ait: *Mala aurica in lectis argentis, qui loquitur verbum in tempore suo.* Hinc sapè contingit quod proximus non sit corripiendus statim ac peccauit, aut quamdiu passio adhuc durat, aut alijs præsentibus: sed postea secretò quando ad hoc erit melius dispositus; alias verò statim ac coram alijs erit corripiendus, ut confundatur, & ita ipsum sui peccati pudeat, illud-
que

que postea fugiat: præsertim quando corripiens est eius Superior, aut quando aliàs esset futurum scandalum. Quia in re natura corripiendi aliàq; circumstantiæ spectandæ sunt.

123 Dices, Hæc cōditio continetur sub secunda, nam tunc semper est opportunitas corripiendi peccantem, quando inde speratur fructus; & hæc deest quando non speratur fructus: ergo hæc cōditio non debet distinguī à secunda, nec separatim explicari.

Respondedo, nego antecedens; nam sæpè potest contingere ut sperem fructum, si iam corripiam; maiorem tamen & certius eum sperem, si paulò post id faciam: quo casu prius tempus non erit opportunum correptioni, quantumvis ex ea speretur fructus; ideo quæ secundum erit expectandum. Adde, etsi hæc cōditio includeretur in priore, posset tamen atque adeò debere maioris claritatis gratia separatim explicari.

124 Quinto, extra extremam fratris necessitatem ut obliget eum peccantem corripere, requiritur ut id possim facere sine graui periculo vitæ, famæ aut etiam fortunarum. Ita Nauarr. cap. 24. n. 12. Valentia 2. 2. disp. 3. q. 10. puncto 2. §. Tertia sententia est media. Lorca sect. 3. disp. 45. num. 7. & alij plures, quos illi citant. & est aperte ipsius S. Augustini lib. 1. de Ciuit. cap. 9. vbi docet, eos, qui ob similem metum desinunt corripere peccantes, etiam eo casu quo sperant aliquos sua correptione emendandos, non peccare damnablem: quamvis insinuet eos quandoque peccare venialiter. quod facile potest intelligi de casu, quo ipsi illa mala minus prudenter timent, aut quando mala quæ timentur non sunt ita graua: nam de eiusmodi etiam timore ibi aperte loquitur. Probatur, quia extra casum extremæ necessitatis non teneor cum tanto meo damno proximi salutem procurare: ut fusè ostendi disp. 25. num. 96. Secus est in casu extremæ necessitatis salutis spiritualis ipsius, ut ostendi ibidem n. 86. vbi in sequentibus etiam explicui quando proximus dicatur esse in extrema necessitate spirituali.

125 Dixi, me aliàs non teneri corripere fratrem, quia hac in re non est eadem ratio Superiorum respectu subditorum, quibus graui necessitate laborantibus tenentur etiam cum graui suo periculo succurrere: ut ostendi disp. 25. num. 101. Quod etiam indicat S. Augustinus suprà vbi ait: *Quia in re* (scilicet in correptione proximi peccantis) *non vtiq; parem, sed longè grauiorem habent causam* (id est obligationem) *quibus per Prophetam dicitur, Ille quidem in peccato suo morietur; sanguinem autem eius de manu speculatoris requirā.* Ad hoc enim speculatores, id est populorum præpositi, constituti sunt in Ecclesijs, ut non parcant obiurgando peccata. Agit autem ibi de grauitate peccati, quod committunt ij qui ob timorem alicuius grauioris mali sibi inde imminentis desinunt corripere peccantes.

Superioris fæpe etiam cū graui suo incommodo tenetur subditos corripere. Ex quibus patet, Prælatos, quando speratur fructus, etiam cum notabili suo periculo, teneri corripere subditorum vitia, ob quæ hi sunt in graui necessitate, ut si aliàs credantur omnino damnandi, præsertim si non peccent ex mera

malitia: & maxime quando communitas putaretur illis inficienda esse.

126 Unde in eiusmodi casibus etiam priuatus tenetur alios corripere cum periculo notabilis alicuius incommodi, non tamen ita graui, nisi forte aliàs communitas crederetur magna ex parte corrumpenda aliqua hæresi, aut etiam alijs grauib; vitijs, ob quæ multi putarentur damnandi; quæ etiam priuati sæpè cum periculo vitæ tenentur impedire. vide dicta disp. 25. n. 97. & 98.

In communibus verò necessitatibus priuatus tenetur corripere peccantem etiam cum aliquo suo incommodo, v.g. etsi credat se ideo deridendum, aut aliquas iniurias auditurum, aut aliquod odium non ita sibi noxium subiturum. Ad id tamen non tenetur cum graui suo incommodo, nisi forte aliter omnino crederetur alius in peccato suo moriturus, & speraretur per correptionem emendandus. Sed hoc vix habet locum nisi in mox morituris: & sic intellige S. Thomam 2. 2. q. 33. a. 2. qui videtur docere, nos etiam cum graui nostro periculo teneri corripere proximum. In omnibus autem his casibus, quo spes profectus est minor, eo cum minore meo incommodo teneor alios corripere, & facilius excusor.

Ex quibus patet, priuatos non ita sæpè peccare, præsertim mortaliter, omissione correptionis fraternæ, quando ex aliquo timore humano eam omittunt: quia facile sibi persuadent, & quidem sæpè cum aliqua probabilitate, aut se nihil profecturos, aut alium sine sua opera emendandum. ut insinuat S. Thomas suprà ad 3. Nauarr. c. 24. n. 12. & S. August. sup. vbi docet, priuatos omittentes corripere peccantes, eo quod timeant eos offendere, temporaliter ideo, non autem æternum puniri. Loquitur autem, ut ex contextu patet, de casu in quo alij sunt in communi, non autem in valde graui necessitate correptionis.

D V B I V M VII.

Quam diligentiam teneamur adhibere ut reddamus nos aptos ut alios corrigamus?

D Vplex hîc potest esse difficultas. Prima, circa iustos, vtrum teneantur aliquando mutare statum, aut studere, ut possint esse apti ut alios corrigant. Secundo, circa peccatores, vtrum singulari præcepto caritatis obligentur vitam emendare, ut proximum possint efficaciter corrigere.

128 CONCLUSIO I. Prælati similesque quibus ex officio incumbit procurare aliorum salutem, si rudes aut indocti sint, tenentur aut officium dimittere, si hoc in eorum sit potestate; aut quantam possunt diligentiam adhibere ut sint apti, qui pro officij exigentia concionando alicui ratione commissum sibi populum ad iustitiam erudiant, & à peccatis auocent. Ita expressè Trident. sess. 5. c. 2. & sess. 24. c. 4. de reform. Et Trident. per se patet, quia quisque tenetur se reddere aptum ad præstanda ea ad quæ ex officio obligatur: cum illi igitur ex officio obligentur procurare

Tenetur graua mala communitatis etiam cū periculo vitæ auertere.

D. Thom.

127 Priuati non ita sæpè peccant omissione correptionem.

D. Thom. Nauarr. August.

Quidam doctores dicunt, quod si priuatus non possit procurare salutem aliorum, non tenetur corripere.

rare emendationem eorum qui ipsis commissi sunt, ipsi tenentur se ad hoc reddere aptos, vide dicta disp. 14. dub. 10.

129
Prelati singulariter obligantur sua vitia emendare ut alios efficaciter corrigant.

Hinc sequitur, tales si ob malam suam vitam sint idonei qui alios corrigant, singulariter obligari aut officium dimittere, aut vitam corrigere, saltem quantum necesse est, ut ad illud fiant idonei: quia aperte est iniquum te velle administrare officium, ad quod ineptus es. tales autem sua vitia sæpe magis ineptos reddunt ad fungendum suo officio, quam ignorantia aut similis defectus. His adde, tales alias grauius subditos scandalizare, si vitiosi permaneant.

130

CONCLUSIO II. Priuati, quibus non est aliorum cura specialiter commissa, hac in re suæ obligationi satisfaciunt, si moralem diligentiam adhibeant, ut quos sciunt in peccatis hæere corrigant, quando datur occasio; iuxta dicta dub. 6. Nec ut se ad id reddant idoneos, tenentur studere, aut statum suum siue rationem viuendi mutare. Ita Lorca hic disp. 45. n. 8. Et probatur, quia alias omnes tenerentur studere, aut fieri Ecclesiastici, ut possent facilius alios à peccatis retrahere, quod absurdissimum est.

Lorca.

131

Hæc conclusio communiter quidem atque adeo ferè semper habet locum: posset tamen aliquando secus in quibusdam particularibus casibus ac personis contingere. Ut quando in aliqua prouincia esset extrema Pastorum inopia, & ideo vel omnis vel magna ex parte communitas perseueraret in errore contra fidem, aut in ignorantia rerum necessariarum ad salutem, aut in grauib. vitijs: & esset aliquis laicus qui sentiret se idoneum ut eos doceret ac conuerteret si fieret eorum Pastor, nec esset alius modus ijs succurrendi; hic obligaretur ad suscipiendum statum Ecclesiasticum, si id posset consequi. Sed hæc rarissima sunt. Idemque posset contingere in ijs qui aperte sentiunt se à Deo ad eum statum vocari, in quo poterunt plus proximi salutis prodesse; qui eiusmodi vocationem ob res humanas valde periculosè negligunt.

Vocatio Dei ob res humanas periculosè negligunt.

132

CONCLUSIO III. Priuatus, cui non incumbit specialiter aliorum cura, viuens in peccatis, si alium suo malo exemplo non pertraxit ad peccatum, communiter non obligatur singulari præcepto caritatis erga proximum vitam emendare, ut hunc peccantem possit corrigere. Ita Bañez 2. 2. q. 33. a. 6. in dub. conclus. 1. citans Sotum. Lorca ibidem disp. 42. nu. 12. Malder. q. 33. a. 5. concl. 3.

Bañez.
Lorca.
Malderus.

Probat, quia quando alterum meo exemplo vel auctoritate non induxi ad peccandum, tunc non mihi, sed ipsius malitiæ imputandum est, si nolit se emendare nisi ego me emendem: nec enim teneor quouis modo alterius emendationem procurare; sed sufficit quod medijs ordinarijs utar, eum ad emendationem adhortando, quando hoc opportunum est, & adest spes fructus: præsertim cum ille respectu meæ correptionis in particulari non sit in magna necessitate, cum alijs modis, si velit, possit faciliè iuari: & cum multorum aliorum bonorum exemplo, & vitijs reprehensionibus factis à concionatoribus non iuuetur, vix poterit esse probabilis spes, quod mea correptione emen-

daretur, si ego me prius emendarem. Confrimatur, quia pauper, et si diligentius laborando & parcius viuendo, posset facile acquirere diuitias, ex quibus daret eleemosynas; tamen ad illud non tenetur in communi aliorum necessitate: quia non tenemur eiusmodi proximi necessitati satisfacere modo nobis ita difficili: ergo nec pauper spiritualiter tenetur laborare ut habeat spirituales diuitias, ut ita communem necessitatem spiritualis patientibus det eleemosynam spiritualem. Probat, consequentia, quia sæpe peccatori difficilius est vitam suam corrigere, quam esset illi extraordinarie laborare, ac parcius viuere. Nec refert, quod peccator tenetur sua vitia corrigere quatenus hæc repugnant legi Dei & naturæ: quia inde non sequitur, eum ad hoc teneri in gratiam proximi corripiendi: & hæc solum contendo eum sub hac ratione non teneri.

Dixi, si alium non pertraxit ad peccatum, &c. Quia is qui alium ex se non peccatum, & a vitijs alienum suo malo exemplo ad flagitiosam vitam pertraxit, singulariter obligatur ad illius emendationem laborare; atque adeo si eum puteraliter non corrigendum, teneret etiam eius causa vitam suam corrigere, quia tunc semper præsumendum est, quod alter pergit eius exemplo ad peccandum moueri, quamdiu ipse vitam suam non corrigit: nam alijs vix potest fieri, ut hic probabiliter credat eum emendandum, si ipse prior suam vitam emendet, & contra non emendandum nisi ipse se emendet. Sed hoc vix contingit, nisi in ijs qui magna sunt auctoritate apud alios, ita ut suo exemplo eos faciliè in vitamque partem mouere possint: qui ideo etiam eodem præcepto, quo vetamur alios scandalizare eos, ad peccatum pertrahendo, obligantur vitam suam saltem exterius emendare, ne alijs scandalo sint eos in peccato continendo.

Dixi, communiter non obligatur, &c. Quia qui omnino crederet proximum in peccato moriturum, nisi ipse suam vitam emendaret, eumque ita ad meliora hortaretur; teneretur ex caritate vel ideo vitam suam emendare, ut extremum ab eo malum auerteret: sed hoc vix fieri potest, nisi in eo qui est summa apud aliquem auctoritate, & hunc exemplo suo ad peccandum pertrahit; & vix vnquam nisi in peccatis contra fidem. Maxime autem tales tenerentur vitam corrigere, quando hinc penderet multorum emendatio; ut contingit in ijs qui suo exemplo continent alios in peruersa doctrina, aut in superioribus, præsertim Ecclesiasticis, qui suo exemplo sæpe multos pervertunt. Sed hi maxime tenentur ad emendationem sui ratione scandalii, quod alijs dant.

D V B I V M VIII.

Vtrum ordo à Christo Matthæi 18. præscriptus in fraterna correptione sit necessarius seruandus?

135 **V**erba quibus Christus Matthæi 18. præscribit ordinem in correptione fraterna seruandum, sunt hæc: *Si autem peccauerit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus es fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesie: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Vbi præscribitur vt fratrem peccantem in nos primò moneamus secreto: & deinde si hoc non iuuat, siue si ille non emendetur, adhibeamus vnum vel alterum testem, qui eum simul nobiscum moneant; & tertio, si hoc modo non emendetur, deferamus eum ad Ecclesiam, siue ad Superiorem. Circa cuius loci intelligentiam occurrunt variae difficultates, quæ partim hoc dubio, partim sequentibus explicandæ sunt.

136 Dubitatur ergo Primò, vtrum hic ordo ibi præcipiatur, an verò solum suadeatur.

Bernardinus de Arevalo in libello de Fraterna correptione fuse contendit hunc ordinem ibi non præcipi, sed solum suaderi. Primò, quia ibi solum agitur de peccato in nos commissio sine nobis iniuriæ, pro quo possumus semper iuridicè exigere satisfactionem: ergo non tenemur de eo proximum secreto monere. Secundò, quia non potest sufficienter probari hic ferri præceptum: ergo id non est asserendum. Tertio, quia hoc præceptum necesse merè positium (quia in lege noua nulla dantur præcepta diuina merè positia, nisi circa susceptionem & administrationem Sacramentorum): neque etiam est iuris naturæ; nam ad nullum præceptum decalogi potest reduci; nec fuit in veteri testamento, vbi potius contrarium præcipitur. nam Leuitici 5. præcipitur, vt qui audierit vocem iurantis falsum, id statim indicet iudicibus. Et cap. 19. dicitur: *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum.* Imò etiam in nouo testamento idem præcipitur: nam 1. ad Timotheum 5. dicitur: *Peccantes coram omnibus argue; vt & ceteri timorem habeant.* Quartò, quia viri sancti eum ordinem non obseruauerunt. nam Ioseph Genes. 37. accusauit fratres suos de crimine pessimo nulla præmissa secreta monitione. Et simili modo S. Petrus Actor. 5. publicè arguit ac puniuit peccatum Ananias & Saphiræ. Addit præterea quædam dicta Patrum & constitutiones Religionum, quæ infra examinabuntur.

137 Dubitatur Secundò, vtrum hic ordo sit seruandus in omnibus peccatis corripendis; an verò solum in his, quæ contra nos siue cum nostra iniuria committuntur. Videtur enim in his solis necessariò seruandus: nam dicto loco Matth. 18. dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus, id est contra te.* Nec sufficit dicere, eum omnem qui peccat coram nobis, peccata contra nos, eo quod quan-

rum est in se suo peccato nos scandalizat. Quia Christus videtur ibi apertè loqui de peccato nobis iniuriæ. vt patet ex Lucæ 17. vbi hic dicta ex parte repetuntur, & dicitur: *Si peccauerit in te frater tuus, increpa illum; & si penitentiam egerit, dimitte illi: & si septies in die peccauerit in te, & septies in die conuersus fuerit ad te dicens, Pœnitet me: dimitte illi.* Vbi iubemur fratri pœnitenti dimittere peccatum. quod nequit intelligi nisi de peccato nobis iniuriæ, & ratione iniuriæ in nos commissæ; quia quatenus est contra Deum nequit ab homine remitti, nisi hic sit sacerdos, & in Sacramento Pœnitentiæ. Idem confirmatur, quia in Matthæo supra paulo inferens, Christus, vt nos excitet vt fratri in nos peccanti remittamus offensam, adfert parabolam serui cōiecti in carcerem, eo quod noluerit remittere conseruo debitum, ac subdit: *Sic & Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

CONCLUSIO. Cum D. Thoma 2. 2. q. 33. a. 7. & 8. & communi Theologorum sententia, omnino dicendum est Matth. 18. præcipi ordinem, quem in correptione debeamus seruare: atque adeò quando ad sunt conditiones ad hoc requisitæ, nos sub peccato obligari eum seruare. Probatur Primò, quia est communis ferè omnium Doctorum, paucissimis exceptis, qui nulla probabili ratione contrarium asserunt: quamquam nec illos credo generaliter contrariū velle asserere, siue nos numquam obligari ad eum ordinem seruandum; sed fortè solum voluerunt non ita sæpè occurrere omnes circumstantias necessarias vt obligemur eum seruare. Secundò, quia hæc videtur etiam communis sententia Patrum, vt patet ex S. August. serm. 16. de verbis Domini, vbi hunc ordinem explicat. Chrysost. homil. 62. S. Gregorio lib. 4. Registri epistola 36. vbi ait: *Et nos quidem seruamus, quod Veritas præcipit dicens, Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum.* Idem docent ceteri. Tertio, quia hoc in iure canonico sæpè à Pontificibus aut asseritur, aut tamquam certum supponitur. nam Innocentius III. c. Cum ex iniuncto. 12. de hæreticis, §. Nec quisquam. ait: *Cum aliud sit fratrem in se peccantem occultè corripere, quod quisque teneretur efficere secundum regulam Euangelicam, &c. Etc. Nouit. 13. de iudicijs.* cum recitat. Iet dictum locum Matthæi, vocat eum regulam Euangelicam. Cum igitur omnis regula obliget, sequitur eo loco dari præceptum. Item c. Licet Heli. 31. de simonia. apertè dicitur secundum regulam Euangelicam correptionem caritativam necessariò præcedere denuntiationem.

Quartò, probatur ratione. Quia non solum caritas, sed etiam iustitia nos obligat, vt famam proximi quantum commodè possumus seruemus illam, ideoque occulta eius peccata alijs non prodamus sine notabili necessitate. Item sicut medicus corporalis grauiter peccat, cum infirmum sanat amputando ei membrum, aut cum simili aliquo incommodo, aut dando ei medicinam periculosam, quando eum sine eiusmodi incommodis, aut modo magis certo ac securo sanare potest: ita etiam medicus spiri-

Luca 17.

Matth. 18.

138
D. Thom.

August.

Chrysost.
Gregor.

Innoc. III.

Novit.

Licet He.

139
Et caritas &
iustitia nos
obligant vt
in correptione
fraterna
quàm fieri
potest con-
sulamus eius
famam.

tualis, quando infirmum sine vlla aut cū exigua latione famæ, aut etiam modo magis securo, sanare siue à peccatis eripere potest, grauius contra caritatem peccat, si sine alia necessitate eum tenter sanare cum graui latione famæ, aperiendo eius occultum peccatum pluribus quàm necesse sit ipsum id aperire: & multò magis si id faciat cum periculo grauius irritandi proximum, & eum reddendi peiorem. atqui fieri potest vt proximus à me possit emendari per solam secretam correptionem, nec alia occurrat necessitas eius occultum peccatum alijs aperiendi: ergo facio tunc contra iustitiam illud alijs aperiendo. Item fieri potest vt corripiendo eum secreto possim eum valdè probabiliter emendare sine alio incommodo, & eius peccatum alicui alteri aperiendo grauius eum sim irritaturus, & in peccato obstinatorem redditurus: ergo tunc contra leges correptionis fraternæ grauius peccabo, si id alijs aperiā.

140
Ordo in correptione seruandus est iuris nature.

Ex his patet Primò, hoc præceptum esse iuris naturæ, ac oriri partim ex caritate proximi, quæ nos obligat vt eum curemus cum minimo, quantum fieri poterit, eius incommodo aut periculo; partim etiam ex virtute iustitiæ, quæ obligatur proximum non infamare, quando nulla nos necessitas ad hoc compellit.

141
Tenemur quandoque proximi peccata publicare ne alijs pereat. Auguſt.

Sequitur Secundò, quando proximus nequit emendari, nisi eius crimen aperiatur vni atque alteri, aut etiam Ecclesiæ, id esse faciendum secundum præceptum Christi, ne proximus alijs pereat, cuius salus pluris facienda est quàm eius fama. Vnde D. Auguſt. in sua Regula de hac denuntiatione agens, ait: *Nec vos iudicetis esse maleuolos, quando hoc indicatus: magis quippe innocentes non estis si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittatis. Si enim frater vester vulnus haberet in corpore, quod vellet occultare, cum timeret secari, nonne crudeliter abste celaretur, & misericorditer indicaretur? Quanto ergo potius debes manifestare, ne deterius putrescat in corde?*

142
Non teneor alterius famam cum damno boni communis sequare.

Ex quibus sequitur Tertio, hanc manifestationem multò magis esse necessariam, quando bonum commune eam notabiliter exigit, quantumuis cum aliqua infamia peccantis alijs ad eius emendationem non necessaria coniuncta sit: quia bonum commune præponendum est priuato; nec quisquam habet ius vt eius famam cum huius notabili incommodo conseruem: nisi quando sigillum confessionis id exigit.

143
Mat. 18.

Sequitur Quarto, hunc ordinem in certis circumstantijs, siue quando vtilis est ad proximi emendationem, & aliunde non occurrit ratio eum mutandi, non solum esse seruandum in peccatis contra nos commissis, sed etiam in alijs, quia ratio supra allata in omnibus æqualiter militat; tum etiam quia nulla potest adferri probabilis ratio, cur potius sit seruandus in illis quàm in his. Nec his obstat quòd Christus Matt. 18. solum fecerit expressam mentionem peccati in nos commissi, quia hoc non fecit vt suum decretum, quatenus spectat necessitatem corripiendi & ordinis in eo seruandi, ad id genus peccati restringeret; sed solum exempli causa attulit tale genus peccati, de quo maxime pote-

rat dubitari an in eius correptione hic ordo seruandus sit, & in quo difficillimè seruetur ob innatam multis cupiditatē vindictæ. Item quia intèdebat nos præcipuè docere, quæ ratione deberemus iniurias nobis illatas remittere, & erga eas inferentes nos gerere.

Ex his etiam patet solutio difficultatis propositæ nu. 137. & responsio ad argumentum ibidem allatum; & ex iisdem facile erit respondere argumentis allatis n. 136.

144

Ad primum, nego priorem partem antecedentis, quia, vt iam ostendi, ibi præscribitur ordo per se, & nisi bonum commune alia ratione contrarium postulet, seruandus in correptione cuiusvis peccati. Nego etiā secundam partem: quia sæpè contingit quòd per secretam monitionem possim mihi iniuriam inducere vt mihi plenè satisfaciatur, quo casu nec opus est, nec licitum eum vocare in iudicium, vt hac ratione cogam eum satisfacere.

Ad secundum, nego antecedens: iam enim sufficienter probaui, ibi fieri aliquid præceptum. Ad tertium, nego secundam & tertiam partem assumpti. nam iam ostendi hoc præceptum esse legis naturæ, & pertinere ad præceptum dilectionis proximi. Posset autem reduci ad octauum præceptum decalogi, quo prohibemur non solum dicere falsum testimonium, sed etiam proximum iniuste infamare. Et consequenter hic ordo fuit etiam in veteri lege præceptus: nec in ea quidquam huic ordini contrarium præcipitur. Loca autem ex Scriptura allata nihil faciunt ad rem.

145
Leuit. 24.

Ad primum, ex Leuit. 5. nego hoc ibi præcipi: solum enim præcipitur vt is qui legitime adiuratur, aut sub iuramento interrogatur circa res inter alios controuersas, verum testimonium proferat. Vide Cornelium Cornelij in dictum locum.

Ad secundum, Respondeo publicè ibidem significare ac clarè & apertè exponendo ei quæ habes contra eum in corde. patet, tum quia ibi publicè corripere opponitur occulto odio; tum quia nulla est ratio cur præcipiamur proximum publicè corripere, quando alijs possumus illum secreto emendare, & satisfactionem obtinere. Vnde in Hebræo habetur, *corripiendo corripies eum*. quo ostenditur aperta & clara correptio.

Ad tertium, ex epistola ad Timoth. Respondeo ibi agi de correptione iudiciali, qua corpiuntur peccata publica, aut in iudicio satis probata. quare nihil facit ad rem.

146

Ad quartum argumentum, nego sanctos viros eum ordinem non obseruasse in circumstantijs, quibus erat seruandus: nec exempla allata contrarium probant. Nam nec satis constat, Iosephum non monuisse prius secreto suos fratres antequam eos accusaret: & ob odium, quo in eum ferebantur, facile poterat sibi persuadere secretam correptionem fore omnino inutilem, atque ita hic & nunc non esse necessariam. S. Petrus verò Actor. 5. auctoritate diuina & ex particulari Dei instinctu ad terrorem aliorum, illorum fraudem puniuit, quia hoc tunc Ecclesiæ expediebat: & Deus cum sit dominus nostræ famæ ac vitæ, potest ea pro sua voluntate

tate nobis auferre, quoties id iudicat expedire, & ad id alijs dare facultatem.

147
Valentia.
Sex casibus
dianis ordo
non est ser-
uandus.

Nota, Valentiam hic disp. 3. q. 10. puncto 5. §. Quarto certum est. adferre sex casus (qui etiam ex nostra conclusione possunt colligi, & ad eam clariùs explicandam iuuant) in quibus hic ordo in correptione fraterna non est seruandus.

Primò, quando peccatum proximi est publicum: quia tunc per denunciationem immediatè Superiori factam ille non infamatur, quia iam infamis est.

Secundò, quando eius peccatum est grauius nocium reipublice, vt si agat de eius proditione.

Tertiò, quando eius peccatum est grauius nocium alicui innocenti: quia caritas suadet vt huius bono magis prospiciam, quam famæ nocentis.

148
D. Thom.
D. Thomas qu. 33. a. 7. in his duobus excipit casum, quo per secretam monitionem possem damnum tam publicum, quam priuatum innocentis sufficienter impedire. Quæ exceptio vera est, quando mihi sufficienter constat, me priuata monitione posse eiusmodi damna sufficienter auertere, quod in priuato damno potest non raro habere locum; cum enim hoc non sit tanti momenti, vt de eo vitando debeam mor-

do valde extraordinario esse sollicitus, faciliùs possum mihi prudenter persuadere ad id sufficienter cauendum, non esse opus fratris peccatum alicui aperire; & vt hoc licetè omittam non requiritur vt omnino certus sim me sine eiusmodi reuelatione posse illud damnum impedire: non tamen sufficeret me id probabiliter credere; sed requiritur, vt sim moraliter aliquo modo certus me id posse sine illius peccati reuelatione impedire, saltem proximi generatim monendo vt sibi prospiciat, aut certum locum eui-
149
Magis debeo
prospicere
bono inno-
centis, quam
famæ nocen-
tis.

uitet, &c. Nam alias quamdiu est probabilis timor illud damnum non posse euitari sine reuelatione id machinantis, caritas suadet vt magis prospiciam bono innocentis, quam famæ nocentis: modò illud bonum sit magni momèti.

Quandò verò agitur de impediendo graui malo publico, tunc oportet aperire imminens periculum ijs, quid possunt impedire: quamdiu non sum moraliter omnino certus me id aliter posse penitus impedire. quod raro potest contingere: quia qui eiusmodi res animo conceperunt raro omnino desistunt eas moliri quamdiu affulget aliqua spes eas conficiendi. quare quantumuis ipsi priuatim moniti asserant, aut etiam iurent se ab eiusmodi molitione omnino cessaturos, non possumus illis fidere, quia faciliùs fingent pœnitentiam, vt animum malum occultent, aut etiam eos iam verè pœniteat, faciliùs postea data occasione redibunt ad ingenium & ad priores conceptus: & tanti mali magnitudo exigit vt in eo cauendo via securissima incedamus, nec ita curemus malum impediens priuato, præsertim nocenti, & cui sua culpa id sibi accersiu-
150
Raro con-
tingit vt ma-
chinantem
malum pu-
blicum non
teneat de-
nunciare.

uit. Sæpè tamen non erit opus vt proditor aperiatur, quando magistratus alia ratione potest sufficienter moneri de periculo imminenti, & huic prospicere; obstruendo vias quibus ciuitati malum parabatur. Dicta autem præcipue ha-

Coninck de alt. supernat.

beat locum; quando is qui insidiabatur bono publico, promittit emendationem, eò quod deprehensus timeat accusari: secus videtur dicendum, quando ipse sponte consilij petendi causam alicui viro bono aperit: tunc enim promittenti mutationem consilij faciliùs potest haberi fides; cum hæ circumstantiæ clarè ostendant eum sincere agere.

Quartus casus est, quando peccatum natura sua est tale, vt nisi efficacissimè ei prospiciatur, soleat communitatem inficere: qualis est hæresis: nam, vt dicitur 2. ad Timòth. 2. hæreticorum sermo serpit vt cancer; vnde multis locis vbi viget inquisitio, omnibus scientibus aliquè quantumuis occultè incidisse in hæresim absolute præcipitur vt statim eum denuncient inquisitoribus, etiam non præmissa secreta monitione. vt cum alijs docet Lorca hic disp. 47. n. 23. & Bañez qu. 33. art. 8. dub. 2. ad 7. Vbi duas reddunt rationes cur id possit potius præcipi in hoc peccato, quam in alijs. Primò, quia ex hoc peccato maximum imminet communitati periculum nisi statim opprimatur. Secundò, quia vix vnquàm est spes tales priuata monitione posse conuerti; nam qui non mouetur auctoritate Ecclesiæ vt rectè sapiat, non mouebitur auctoritate alicuius priuati cum monentis. Monent autem iidem Doctores hæc intelligenda de formaliter hæretico; non autem de eo, qui ex sola ignorantia versatur in errore contra fidem, qui veritatem edoctus paratus est credere: talis enim non est verè hæreticus, quia non est peritax.

Sed secunda eorum ratio non est generalis: nam sæpè contingit aliquos adherere quibusdā erroribus, quos sciunt pugnare cum doctrina Ecclesiæ Catholice, atque ita esse formaliter hæreticos; qui tamen id non faciunt ex mera malitia, sed quia vehementer apprehendunt quædam loca Scripturæ aliaue sibi insolubilia argumenta euidenter probare suam doctrinam esse veram, & Ecclesiam errare: quæ si ipsis clarè soluantur, statim conuertuntur; vt quotidiana multis locis docet experientia: nam in Belgio, Germania, Gallia, Anglia, videmus tales aliquos quotidie conuerti, etiam ex ijs qui prius hæresim docuerant. Quare viri docti talium conuersionem non debent faciliè desperare, nisi cum secundum monitionem Apostoli eos semel aut iterum monerint, eorumque rationes dissoluerint, & viderint eos tunc manere pertinaces. Prior tamen ratio, & quia tales præsertim in locis vbi viget inquisitio, faciliè simulant suam conuersionem, vt ita faciliùs lateant & periculum fugiant, sufficiens est causa cur in locis adhuc incorruptis, in quibus hoc commodè fieri potest, inquisitores absolute præcipiant tales omnes ad se deferri, quantumuis alias speretur eorum conuersio posse procurari per secretam monitionem. Quia hoc bono communi valde expedit, quod priuato præferendum est, & ei potius prospiciendum est quam priuatae aliquorum nocentium famæ.

Quintus casus est, quando proximus ob maiorem suum in spiritu profectum aliamue iustam causam tacite vel expresse cessit iure, quod hac

ex parte habet in suam famam, ut scilicet in eius correptione dictus ordo seruetur, & quoties est spes fructus prius secretò admoneatur, quam ad Superiorem eius peccatum deferatur. de quo agam dub. 11.

Sextus casus est, quando ob naturam peccantis aut alias ob causas prudenter credo me omnino inutiliter per me aut alios priuatos proximum monitum antequam eum denunciem Superiori: tunc enim possum eum statim huic denunciare, quia frustra illa praemitterem. Quod maxime locum habet, quando observatio illius ordinis crederetur non solum inutilis, sed etiam nociva futura, eò quod alter monitus in odium monentis exardesceret, aut emendationem simulando correptionem eluderet.

D V B I V M IX.

Quaratione testes adhibendi sint in correptione fraterna, quando proximus per secretam correptionem nequit emendari:

153

Nota Primò, nos hic testem accipere pro omnino eo quem quis adhibet sibi socium ut secum fratrem peccantem priuatim corripiat.

Cur testes in correptione adhibendi sint.

Nota Secundò, me hos socios siue testes ob varios fines posse adhibere huic correptioni. Primò, ut simul iuncti maiore efficacia possimus alterum arguere, & ita multorum auctoritate frangatur, qui vnus correptione motus non est ut à peccato desistat: aut ut conuincatur esse peccatum id, quod fateretur se fecisse, sed negat esse peccatum. Secundò, ut illi testentur me esse functum officio meo prius illum corripiendo priuatim, quam illum Ecclesie denunciem. Tertiò, ut, si, quando eum postea denunciaui, neget se illud peccatum fecisse, possit testibus conuinci.

154
Triplici casu possunt testes adhiberi correptioni.

Nota Tertiò, hanc adhibitionem testium fieri posse in triplici casu. Primò, quando peccatum proximi est publicum, ut si notum sit maxime parti ciuitatis aut viciniae, aut saltem alicuius communis, in quibus plures quam decem. Secundò, quando est quidem occultum, probabile tamen in iudicio, eò quod mihi & duobus alijs cognitum sit. Tertiò, quando mihi soli cognitum est.

Quando autem peccatum est omnino publicum, tunc facile est adhibere testes: quanquam hoc non sit omnino necessarium, quia non est tunc necessarium ante denunciationem, praefertim paternam, praemittere secretam monitionem, ut ostendi n. 147. Item quando peccatum corripiendi praeter me est vni vel alteri notum, etiam facile mihi est hos post primam correptionem adiungere mihi socios ac testes secundae correptionis. Cum enim hi non minus quam ego eius peccatum nouerint, aequaliter poterunt ipsum de hoc corripere, illudque postea, si opus sit, coram Superiore testari. Quare communiter omnes consent in eo casu testes esse adhibendos, si prima correptio non fuerit efficax. Sed tota difficultas est, quando peccatum est mihi soli notum. Quia in re triplex est sententia.

Prima docet, quando tunc proximus non emendatur secreta mea monitione, non esse ulterius progrediendum. Ita quidam apud D. Thom. q. 33. a. 8. idemque quoad testium inductionem docet Durandus in 4. dist. 19. qu. 4. Ad- dit tamen, si peccans habeat Superiorem prudentem, cui sine alio incommodo possit aperiri proximi peccatum, quicquid illud possit in posterum à peccando impedire, v.g. subtrahendo ei peccandi occasiones aut simili ratione, illud huic aperiendum esse.

Probat autem dicta sententia, quia vel illi testes essent adhibendi ut testentur proximum peccasse, aut me functum esse meo officio ipsum ante secretò monendo; & neutrum possunt testari, quia neutrum sciunt. Aut ut mecum simul alterum corripiant; & hoc etiam nequeunt facere, quia, ut ex communiore sententia dixi n. 87. non possum corripere proximum ob aliquod peccatum nisi mihi cõfiteri eum hoc fecisse. hic autem hoc illis inductis testibus cõfiteri non potest, cum hoc nequeant scire nisi ex mea relatione, cui non tenentur hac in re credere, praefertim si alter neget se id fecisse; cui tunc tenentur potius credere quam mihi, quia quis prae sumitur bonus, donec probetur malus. Aut tandem adhibebuntur, ut explorent an alter sapius illud peccatum committat; & hoc etiam dici non potest, quia priuati non debent inquirere in vitam alienam, ut habeant quae corripiant. ut ex D. Augustino ostendi supra num. 67.

Secunda sententia docet, post secretam monitionem inefficacem eiusmodi testes esse inducendos quando correptus continuat suum peccatum, v.g. detinendo apud se concubinam aut rem quae potest probari esse aliena, aut quando est periculum relapsus, ut notent an proximus pergat peccatum continuare, aut an iterum simile peccatum committat, & tunc cum simul cum alio reprehendant; & si non emendetur, Superiorem denuncient, eiusque crimen probent. numquam tamen esse à me inducendos quando non est periculum relapsus; aut praecise ut eum de peccato quod solus vidi, mecum corripiant. Ita Adrianus in 4. dist. 19. tract. de correptione fraterna. §. Pro huius decisione. in fine. Eandemque videntur tenere Paludan. Paludan. ibidem q. 4. & Caiet. 2. 2. q. 33. a. 8. in priore dubio; quatenus dicunt testes inducendos ut obseruent an proximus iterum peccet, eumque tunc moncant: nec insinuant eos aliàs esse inducendos, quando peccatum est vni tantum notum.

Prior pars probatur. Primò, quia Christus Matt. 18. iubet ut, quando frater peccauit contra nos, & nostra correptione non emendatur, inducamus testes à quibus nobiscum corripimur; & videtur loqui de casu, quo proximi peccatum mihi soli notum est. Primò, quia hoc insinuant ea verba, Si peccauerit in te. Quod multi Patres ac Doctores aiunt idem valere ac coram te solo. Secundò, quia ideo iubet ut eum corripas inter te & ipsum solum, ne aliàs eius famam coram alijs laedas; quod locum non haberet si plures essent conficij peccati ipsius.

Secundò, quia id aperte docet D. Augustinus in sua Regula.

Regula. Agēs enim de peccato, quod vnus solus vidit alterum committentē, docet, hūc, si ipsum post correptionem videat id secundo committentem, debere sibi adhibere alios qui idem seculum aduertant, vt eum postea corripiant, & si necesse sit denunciant. Responder Durand. supra D. August. ibi solum loqui de curioso aspectu mulierum, qui non est in se peccatum, nec infamat, sed solum est occasio peccandi. Sed hoc verum non est; quia August. ibi aperte agit de aspectu arguente animum libidinosum, qui & in se peccatum est, & Religioso infamis: & ibidem paulo inferius docet, idem dicendum esse de quouis alio peccato.

Tertio, quia eiusmodi inductio testium potest aliquando esse utilis ad emendationē fratris, qui aliās emendari non poterat: ergo tunc est adhibenda etiam cum aliqua læsione famæ fratris: quia pluris facienda est salus animæ quàm famæ integritas.

159 *Quandoque priuatus licite explorat alienam vitam.*
Et quamuis communiter non deceat nos inquirere in vitam proximi, hoc tamen solum est verum quando id non indicatur prudenter necessarium vtiuimus eum hærentē in peccatis, prout in dicto casu fit. Itē et si vnus assertio non sufficiat, vt sine alia causa certò credam proximum aliquod peccatum commisisse, atque ita eum de hoc arguam, sufficit tamen vt de eo habeam sufficientem suspicionem vt id explore, quatenus putatur hoc necessarium ad eius emendationem. Nec etiam est timendum ne proximus grauius irriterur vidēdo alios sua facta obseruare, quia hæc obseruatio & facile potest & debet ita fieri, vt alter non aduertat se obseruari.

160 Secunda pars probatur Primò, quia quando solū agitur de peccato actu omnino præterito, talis inductio testium videtur omnino inutilis ad finem fraternæ correptionis, vt probat argumentum allatum n. 156. Secundò, quia alter facile mihi grauius indignabitur, si videat me eius factum omnino secretum alijs aperuisse, & pudore impellere illud negabit; cum sciet me non posse id probare: hoc enim in talibus qui in secreto moniti nolunt se emendare, communiter est præsumendum: atque ita inductio testium non solum non proderit, sed etiam oberit. Tertio, quia eiusmodi peccati reuelatio ac inductio testium erit etiam mihi valde periculosa. quia alter communiter negabit suum crimen, & accusabit me tanquam calumniatorem, qui ipsum apud alios insinulauerim alicuius criminis, quod ipse negabit se fecisse, & ego id probare non potero. Atque ita poterit me vt calumniatorem apud Superiorem accusare, & eosdem illos testes contra me producere: qui poterunt testari me hoc crimen illi obiecisse; & tamen non poterunt testari ipsum hoc fecisse.

161 Respondent aliqui ex Auctoribus tertriæ sententiæ dictos testes non posse eo casu testari me falsò hoc crimen ei obiecisse; nam ipsi nesciunt ipsum hoc non fecisse, & sicut non tenentur credere mihi asserenti eum id commisisse, ita nec tenentur credere alteri id neganti. Quare solum poterunt testari me iuxta ordinem fraternæ correptionis, eum de hoc crimine coram se corripuisse, in quo nullum est peccatum.

Coninck de act. supernat.

Sed hoc non satisfacit. Primò, quia vt ego eo casu habear calumniator, præterim in iudicio, vt habear calumniator sufficit me obiecisse crimen quod probare non possum. Nam in eo foro passus obiectionem criminis semper habetur innocens donec probetur nocens, & obijciens punitur vt calumniator nisi probet obiecta. Quod æquissimum & omnino necessarium est; quia aliàs quouis impune posset alteri quantumuis innocenti secretum aliquod crimen asingere, & coram alijs obijcere, quia hic non posset probare se id non fecisse.

163 Secundò, quia illi eo casu poterunt quidem testari me tale crimen coram ipsis alteri obiecis- se; nullo tamen modo poterunt testari me id fecisse iuxta præceptum ac ordinem fraternæ correptionis. Tum quia non poterunt testari me ipsum primò fecerè monuisse; hoc enim non sciunt: tum etiam quia non poterunt testari me in obiectione illius criminis vlla ratione verè fundum esse officio fraternæ correptionis; quia ad hanc requiritur, vt alterum corripiam ob crimen quod verè commisit; illi autem nullo modo possunt scire illum hoc crimen verè commisisse; & consequenter nec scire, nec testari possunt me eum fraternè corripuisse: atque adeò in iudicio tanquam calumniator merito condemnabor. Confirmatur, quia nisi eo casu correpto me accusante possem tanquam calumniator puniti, quouis posset quemuis impune apud duos vel tres infamare asserendo ei falsum crimen, & dicendo se id facere vt ipsum fraternè coram ijs corripiat.

164 Tertia sententia docet, nos etiam in casu, quo fratris peccatum non potest ratione suæ continuationis, aut iterati lapsus ab alijs norari, teneri eum corripere coram testibus, quando priuata monitio nihil profuit: & illa creditur profutura. Ita Bañez 2. 2. q. 33. a. 8. dub. 3. & cum alijs Valentia. D. Thomae. sententia disp. 3. qu. 10. puncto 5. Est satis aperte sententia D. Thomæ dicto a. 8. Probant id varijs rationibus, sed quæ facillimè possunt solui; & adferunt quoddam Patrum auctoritates, sed hi aperte loquuntur in casu secundæ sententiæ.

Quare hæc sententia hac sola ratione posset probabiliter persuaderi, quia talis inductio testium posset aliquando esse utilis ad proximi emendationem, & sine vilo incommodo fieri: ergo caritas proximi tunc exigit vt eam adhibeamus. Antecedens probatur, quia fieri potest vt noscam aliquem virum pium & prudentem, cui sine vilo periculo possum alterius peccatum aperire, quique corripiendo magna amicitia coniunctus est, ita vt hic non sit ægre laturus, si illi ipsius peccatum aperiam; & qui rursum apud hunc sit magna auctoritate, ita vt eius monitione credatur omnino inducendus ad penitentiam. quo casu inductio talis testis poterit esse utilis, & nullo modo periculosa aut nocua.

165 CONCLUS. I. Quando proximus perseverat in aliquo peccato ex ignorantia siue culpabili, siue inculpata, & à me admonitus non credit esse peccatum; teneor aliquos adducere, qui ei testentur hoc esse illicitum, quorum auctoritate credam

Ddd 2

credam eum permouendum ut hoc credat, & ab eo opere absteineat. Per se patet, quia hac ratione possum eum liberare ab ignorantia ipsi notitia, quatenus est rei quam tenetur scire, & auertere à peccato saltem materiali, aut etiā formali, si ignorantia sit vincibilis. Potestque hoc fieri sine graui incommodo, aut alterius vlla notabili infamia, si illis non dicam hunc aliquid solitum facere, sed solum eum putare hoc non esse illicitum, adeoque posse esse periculum ne id forte aliquando faciat. Quamuis hæc sæpè commodius fierent, si ex aliquibus Auctoribus impressis ei illa veritas probaretur, quando ita fieri posset.

166 **CONCLUSIO II.** Quoties inductio testium putatur necessaria & profutura ad proximi emendationem, & potest sine graui incommodo fieri; hi adhibendi sunt, etiam si peccatum iam actu omnino transierit, & non putetur reiterandum: atque ita sub his terminis puto tertiam sententiam ex supra relatis esse veriorē. Et patet, quia ex caritate teneor procurare proximi emendationem, quoties hic aliàs non est emendandus, & id commodè facere possum: atqui in eo casu hæc circumstantiæ adfunt: ergo tunc teneor proximi emendationem ea ratione procurare.

167 **CONCLUSIO III.** Et si hæc inductio testium possit in praxi sæpè habere locum, quando proximus actu continuat suum peccatum, detinendo apud se concubinā, aut rem quæ potest probari aliena: aut quando sæpius in idem peccatū incidit iuxta dicta n. 158 & 159. quando tamen neutrum horum fit, eiusque peccatum est mihi soli notum, eiusmodi testium inductio rarissimè erit saluti proximi utilis ac necessaria, aut mihi non grauitèr periculosa: atque ita rarissimè erit suadenda. Et cum hac limitatione puto verā secundam sententiam supra allatam, eiusque rationes allatæ n. 160. & seq. hoc clarè, & nihil aliud probant. Et confir. quia, ut ostendi n. 117. in eo casu non teneor corripere proximum, nisi prudenter credā eum aliàs in peccato moriturum, aut dum ad hoc tenebitur non acturum penitentiam. Quod extra periculum mortis vix contingit, nisi videam eum in paschate non confiteri, quo casu iam in aliud peccatum incidit: ergo rariùs adhuc accidet ut tunc teneor inducere testes.

168 Posset autem hæc inductio esse necessaria quando scirem existentem in occulto peccato instare periculum mortis, eumque, quia hoc sibi nullo modo persuaderet, aut aliā ob causam non esse villo modo sollicitum de penitentia agenda, nec velle cōfiteri: tunc enim si sine graui valde meo incommodo eum aliqua probabili spe fructus possem alijs ipsius statum aperire, & inducere eos ut ipsi suaderent confessionē, ad hoc tenerer ob grauiissimum & præsentissimū alterius periculum. Idemq; posset dici quando talis extra periculū mortis esset suscepturus aliquod Sacramētum, v.g. Ordinem, Matrimonium aut Confirmationem, non præmissa cōfessione, aut necessaria contritione (quod tamen mihi rarò, præsertim de omitrenda contritione, constare potest nisi ex eius dictis): tūc enim si possem commodè statū eius alicui aperire, cui ipse esset valde amicus, ita ut non ægrè ferret me huic eius

statum aperire: & si crederem hoc fore necessarium & utile ne alter in statu peccati Sacramentum suscipere; ad id tenerer, ut ea ratione impedirem tam ipsius peccatum, quam grauem Sacramenti Dei que iniuriam.

Dices, Ad proximi emendationem in dictis casibus sufficeret aliquos magna apud eum auctoritate inducere qui ipsi persuaderent confessionem nulla facta mentione peccati, in quo ille est: ergo hoc non est illis aperiendum.

Respondeo, hoc quidem communiter esse verum, non tamen semper; nā posset contingere quod is qui inducendus esset, non posset ei efficaciter persuadere confessionem, nisi sciret eius statū ut inde posset accipere occasionē clarè ei ostendendi quanto periculo se exponat nisi cōfiteatur, & hoc faciendo ei esset persuasurus. Et hæc quidem pro defensione illius tertie sententiæ speculatiuè possunt dici. Agendo tamen de praxi puto facile quidem posse fingi casum in quo omnes eæ conditiones concurrant, & sufficienter mihi de ijs constet, ut obliget ad eiusmodi inductionem testis: credo tamen hoc rarissimè aut vix vnquam de facto contingere.

Posset tamē hæc inductio aliqua ratione habere locum, quando aliqua persona commisit aliquod secretum peccatum cuius sum cōscius, & cuius eam valde puderet: & ex eius conditione aut etiam dictis prudenter iudico quod in confessione id præ pudore omittet, atque ita sacrilegè confitebitur ac cōmunicabit. Tunc enim sæpè consultum esset rem aperire eius confessario, quando hic esset prudens, & qui tali cognitione nunquā nisi in bonum alterius esset vlturus. quod deinde in confessione quasi aliud agēdo, & dissimulādo se quidquam ab alio audiuisse, posset penitentem circa eiusmodi peccatum examinare, ac efficaciter hortari ad integrā confessionem, ac ita sensim eum inducere ut illud peccatum exprimat. Quo casu utile fuerit si confessarius in initio confessionis conciliet sibi animū penitentis, ostendendo magnum erga ipsum amorem & desiderium salutis ipsius. & deinde capiet aliquas occasiones ac indicia, quibus probet eius conscientiam sibi videri minus tranquillā: ac grauitèr exponat quā graue sit peccatum non integrè confiteri, & quantum sit confessionis secretum, quāq; sine villo incommodo peccata quantumvis grauiā ibi possint aperiri; & consequenter quā stultus sit ille pudor, qui suadet ea hic tacere quæ in extremo iudicio cū maxima peccatoris verecundia & æterna damnatione toti mundo aperienda sunt. & alia similia. Sed in hoc casu ac ferè etiam in præcedentibus non tam agitur de emendando peccato præterito, quā vitando futuro.

Ad eiusmodi hominum emendationem sine incommodo consequendam sæpè etiam utile fuerit adire aliquem concionatorem, quem illi solent concionantē audire, ei que in genere dicere esse aliquem ex eius auditoribus in tali statu ac periculo constitutum, eumque rogare, ut accepta aliunde occasione hac de re verba pro concione faciat, ac grauitèr valde ostendat in quanto periculo tales versentur, & quā grauitèr Deum offendant, idque ob rem nullius momenti,

menti, aliæque similia quæ possint aliud ad emendationem mouere. Hoc tamen medium communiter est minus efficax magisque incertum, quam præcedens; fit tamen cum minore peccantis infamatione, minusque odiosum est. Prudentis autem est iudicare quid in his illius circumstantijs expediat.

D V B I V M X.

Utrum peccatum proximi sit aliquando aperiendum Superiori priusquam adhibeantur alij testes, aut etiam antequam secreta monitio sit præmissa?

172 **N**Ota, hac in re certum esse Primò, non esse necessarium seruare dictum ordinem, quando peccatum proximi est omnino publicum. Secundò, peccata secreta non posse denunciari Superiori ut iudici, nisi dictus ordo seruetur, quantum fieri potest. Tertiò, posse peccatum proximi immediatè deferri Superiori ut patri, siue præcisè in ordine ad bonum & emendationem peccantis, non præmissa priuata monitione aut adhibitione aliorum testium, quando hæc sciuntur non profutura, aut sine graui incommodo fieri non possunt. Idemque, ut dubio sequenti ostendam, est dicendum, quando peccans expressè vel tacitè consensit ut eius peccatum ita ad Superiorem deferatur.

173 Tota igitur difficultas est, quando alterius peccatum est mihi soli notum, & speratur fructus ex priuata monitione aut testium inductione; utrum his omisiss sine peccantis consensu possim id immediatè aperire eius Superiori ut patri, solum quia puto id saluti peccantis aut bono communi magis expedire. Qua de re variae sunt sententiæ.

174 Prima docet, quoties spero Prælatum maiorem cum fructu spirituali proximi hunc posse corrigere, atque adeo quoties prudenter iudico salutem ipsius spirituali magis expedire, ut omisss testium inductionem, ac secreta admonitionem eum statim ad Prælatum tamquam ad patrem deferam; me posse illis omisiss huius peccatum illi tamquam patri primò aperire, modò sciam ipsum hoc omnino secretum habiturum, nec peccantem odio habiturum, aut alia ratione ei nociturum. Ita Richardus in 4. dist. 19. a. 4. q. 1. in corpore. vbi etiam docet, peccatum fratris, quando hic à me correptus est emendatus, debere deferri Prælatò, quando id putatur utile ut præferretur à relapsu. Et in respons. ad 2. docet, hæc communiter habere locum in Religiosis, qui Prælatò, præsertim id præcipienti, tenentur alterius peccatum etiam ante secretam monitionem aperire, prout obijciebatur in argumento. Item

Richard. Angel. v. Denunciatio. nu. 10. vbi alios pro ea citat, docetque esse communem sententiam Doctorum sui Ordinis. Item Rosella v. Inquisitio. sub initium. Bonauent. in cap. 17. Lucæ, §. Secundò quantum. Eandem fusè docet Bernardinus de Arevalo in libro de Fraterna correptione: & satis apertè videtur eandem docuisse D. Thom. quodlibeto 11. qu. 9. a. 13. vbi ait: *Utrum autem statim cum quis scit fratrem suum peccasse, debeat*

Coninck de act. superuat.

denunciare Prælatò: dico quòd in his distinguendum est de conditionibus subditi & Prælati. Nam si ego scio quòd frater per me corrigetur, tunc non debeo hoc denunciare Prælatò. Si autem videtur quòd hoc melius fiat per Prælaturam, & Prælatus nihilominus sit pius, discretus & spiritualis, non habens rancorem seu odium aduersus illum subditum: tunc licet potest hoc denunciare sibi; & tunc non dicit Ecclesiæ, quia non dicit eisicut Prælatò, sed sicut personæ proficienti ad correptionem proximi & emendam. Sed quia propter condiciones diuersas Prælatorum & subditorum, non potest in hoc dari generale iudicium, quia aliquando Prælatus vel mouetur ad odium aduersus subditum, vel subditus non bene ferret verba Prælati; idèd tenendum est hoc pro regula, quod in omnibus istis semper seruanda est caritas, & quod melius & magis expedire viderur; & si hoc intendat (nimirum corripuens aut deferens proximum) scilicet emendam proximi, seruet quantum potest bonum caritatis, tunc denunciando non peccat. Vbi ut omisss priuata monitione possim alterius peccatum statim denunciare Prælatò, non requirit ut credam me per illam nihil effecturum; sed solum quòd Prælatus melius siue cum maiore eius fructu spirituali eum emendabit: & quòd aliàs ei non nocebit. Vnde quod prius dixi me non debere eum denunciare, quando per me potest corrigi, ne sequentibus contradicat, intelligendum est, quando hoc æquè bene per me fieri potest; aut quando Prælatus timetur nociturus.

Confirmatur, quia dum ibidem adfert rationes cur peccatum fratris non sit statim deferendum ad Prælaturam, nec dicit, nec insinuat idèd non esse faciendum, quia frater ea ratione magis infamatur. Sed quia aliquando Prælatus vel mouetur ad odium aduersus subditum, vel subditus non bene ferret verba Prælati. Quæ non ita accipienda sunt quasi ipse nolit ullam haberi hac in re rationem famæ fratris (clarum enim est etiam ex illius mente hanc quantum commodè fieri potest integram esse seruandam) sed quòd velit hic primò & præcipuè haberi rationem maioris profectus spiritualis ipsius fratris, & huic posthabendum esse aliquod nocumentum famæ, quod illi ex illa denunciatione obueniet. quod, quando aliud incommodum non sequitur, non videtur tanti faciendū, ut propterea maior ille profectus debeat negligi. Vnde infra docet, in hoc negotio generatim spectandum ut seruetur caritas, & quod melius & magis expedire viderur. Et deinde ostendens quid hoc sit, subdit: *Et si hoc intendat, scilicet emendationem proximi, apertè docens, illud melius & magis expedire esse maiorem emendationem peccantis, & subdit: Seruet quantum potest bonum caritatis, tunc denunciando non peccat.* Ac si dicat, Quando spectat maiorem proximi emendationem, modò seruet ipsius famam quantum potest fieri, simul ita procurando eius maiorem profectum, non peccat denunciando Prælatò eius peccatum, scilicet ante secretam monitionem: in quo casu tota quæstio procedit.

Vbi Notanda sunt illa S. Thomæ verba: Et tunc non dicit Ecclesiæ. vbi apertè insinuat Christum Matth. 18. iubentem præmittere secretam monitionem & testium inductionem antequam

Ddd 3

pecca-

Dicere Ec-
clesiæ est di-
cere Prælati
ut iudici.

peccatum fratris denunciatur Ecclesiæ, loqui de denuntiatione facienda iudici & in ordine ad punitionem (ut verba Christi etiam satis insinuant.) Et consequenter sentit denuncian-tem Prælati ut patri peccatum fratris, spectan- do huius præcisæ perfectionem emendationem, non facere contra præceptum Christi, etli nec testes nec secretam monitionem præmi- serit.

Ex quibus etiam patet, hunc locum non con- tradicere ijs quæ idem docet 2. 2. qu. 33. a. 7. & 8. ubi docet, esse contra præceptum Christi pec- catum fratris ante secretam monitionem & tes- tium inductionem denunciare Prælati: quia hic aperte agit de denuntiatione huic facienda ut iudici: ut clare patet ex a. 8. ad 4. S. Thomam citat & sequitur Gabriel lect. 74. in canon. §. Quintus casus.

D. Thom.
Gabriel.

177
D. Thom.

Hæc sententia potest probari ratione quam S. Thomas supra, ut ostendi, insinuat. Quia ni- mirum cum hæc correptio fraterna quæ talis e- iusque ordo sint præcipue inducta ob bonum corripiendi, in eam illi modus siue ordo seruan- dus est, ex quo maximum fratris bonum prudē- ter speratur: atqui maius ipsius bonum est ipsum cum aliqua iactura famæ, quæ ex illa denuncia- tione Prælati facta nascetur, certius & perfe- ctius corrigi, & à periculo recidendi præseruari; quam ipsum sine illa iactura minus certò mi- nusque perfecte corrigi: ergo etiam cum eius- modi iactura ille ordo siue modus corripiendi eligendus est, ex quo certior & perfectior fra- tris emendatio speratur futura.

178

Dices, Melius etiam est proximo proficere in spiritu cum iactura pecuniæ, quam hac abunda- dare sine illo profectu, & tamen non licet mihi eam illi clam surripere, ac ex ea dare eleē. mosy- nam, ut sic illi impetrem maiorem gratiam & profectum in spiritu: ergo similiter quando ali- ter potest corrigi à peccato, illicitè eius occul- tum peccatum denuncio Superiori, ut ita me- lius & perfectius corrigatur.

Respondeo, si hoc argumentum valeret, pro- baret me illicitè deferre proximi occultum pec- catum ad Prælatum, etiam quando hoc est ne- cessarium ad eius emendationem, sicut illicitè ex eius pecunijs clam acceptis pro eius emen- datione do eleē. mosynam, etiam si hoc iudicem necessarium ad eius emendationem, quam alijs vijs frustra tentavi procurare. Quare neganda est consequentia: quia illa denuntiatio est sæpè medium ex natura rei & Dei decreto ordinatū ad proximi peccantis correctionem: quare quo- ties ad hanc est necessaria, habeo ius ut ea in hunc finem utar. Videtur autem ad eum finem esse necessaria, non solum quando hic sine ea nequit haberi, sed quoties sine ea minus certò minusque perfecte habendus est: præsertim si hæc differentia sit notabilis. Secus est de illa da- tione eleē. mosynæ ex pecunia aliena clam ac- cepta inuito domino. Poterunt hæc etiam con- firmari ex ijs quæ dicemus dub. 11. n. 201.

179

Secunda sententia huic omnino contraria docet, antequam proximus denunciatur Præla- to etiam ut patri, semper præmittendam esse non solum secretam monitionem, sed etiam

testium inductionem, quando ille per hæc pu- tatur corrigendus. Hanc videtur tenere Bañez Bañez, 2. 2. qu. 33. a. 8. ad 6. & quidam alij apud Valen- tiam 2. 2. disp. 3. q. 10. puncto 5. §. Alij autem sim- pliciter, male tamen tribuitur Hugoni de S. Vi- ctore, ut infra ostendam, & fortè etiam Navarro. Nam cum hic pro se citet Sorum & Adrian, qui tenent tertiam sententiam, videtur etiam idem cum his sentire.

Probatur Primò, quia Christus Matth. 18. præcipit ut illa duo præmittantur antequam peccatum fratris Superiori denunciatur: ergo hoc faciendum est. Secundò, quia frater debet corripri quantum fieri potest cum minima iactura suæ famæ: atqui hoc fit quando dictus ordo omnino integrè seruatur: ergo hoc semper est faciendum, quoties frater per vnum ex priori- bus medijs speratur corrigendus. Minor proba- tur, quia, ut patet ex communi sensu hominum, pluris est habere bonam famam apud Superio- rem, quam apud multos alios non Superiores: ergo fama fratris multò plus læditur dum eius peccatum denunciatur Superiori, quam si dica- tur duobus alijs qui adeius correptionem pos- sunt iuuare. Probant eam Tertio, auctoritate Hugonis à S. Victore, qui suo tempore maxi- ma fuit auctoritate & tamquam alter Augusti- nus habitus. Sed, ut infra ostendam, hic potius contrarium docuit.

Tertia sententia docet, quando ego secreta monitione non proficio apud fratrem peccan- tem, me posse eum statim denunciare Superiori ut patri, ut per eum emendetur. Ita D. Thom. supra a. 8. ad 4. Adrian. in 4. tractatu de corre- ptione fraterna sub finem. Sotus in relect. de secreta memb. 2. qu. 4. ad 3. Siluester v. Corruptio fraterna. qu. 5. Gabriel in canon lect. 74. lit. T. & potiore ratione eam tenent Auctores citati pro prima sententia, saltem quatenus hæc sententia solum docet, me tunc posse rem statim deferre Superiori.

Probatur autem ratione supra allata pro pri- ma sententia, quia nimirum frater ea ratione videtur maiore cum fructu suo spiritali posse corrigi: tum etiam auctoritate S. August. qui eam aperte docet in sua Regula. Vbi cum dixisset eum, qui vidisset fratrem peccantem, & fru- stra admonuisset, debere inducere testes qui eum obseruent, subdit: Sed antequam alijs demon- stratur, per quos conuincendus est si negauerit, prius Proposito debet ostendi, si admonitus neglexerit cor- rigi, ne forte possit secretius correptus non innotescere alijs. Vbi expressè docet, talem prius debere indicari Prælati ut patri, quam testibus. Et quamuis ibi præcipue loquatur de testibus ad- hibendis non tam in ordine ad priuatam mon- itionem, quam ut peccans possit publice de crimine suo conuincti in ordine ad punitionem; ad hos tamen suam assertionem non restringit, nam cum absolute dicat peccatum fratris prius esse indicandum Prælati quam alijs per quos conuincendus est, nec meminerit aliorum qui- bus debeat peccatum indicari prius quam ipsi Prælati; aperte significat id huic post secretam monitionem inefficacem primò omnium indi- candum esse.

Respon-

181

Respondent aliqui, illud *antequam alijs*, &c. non respicere testes, per quos peccans convincendus est, sed alios, coram quibus à Prælo palam arguendus est. Ita ut S. August. solum vel rem debere prius indicari Prælo, ut peccans per hunc secretò, si fieri posset, emendetur, quam omnibus publicetur. Et hunc esse sensum Augustini probant Primò, quibusdam cōiecturis ex eius verbis desumptis; sed quia facile solui possunt, eas hic omitto adferre. Secundò, quia Hugo à S. Victore videtur S. Augustinum sic intellexisse, qui in commentarijs illius Regulæ cap. 6. citatis dictis Augustini verbis subiungit: *Culpa cum occultè committitur, ab alijs fratribus, qui eius culpe conscij sunt, hic qui deliquit frater debet secretò corrigi; quos si neglexerit audire, patri monasterij debet indicari, ut ipse fratrem secretò corrigat; quatenus culpa quæ adhuc latens est, si fortè secretiùs corrigi potuerit, non omnibus innotescat. Si autem negaverit, tunc testes adhibeantur, ut convictus districtius iudicetur. & hoc est quod Augustinus ait, si autem negaverit, usque debbit emendatoriam subire vindictam.*

August.

Hugo de S. Victore.

August.

182
August.

Sed verba S. Augustini sunt clariora, quam ut eum aliqua veritatis apparentia possint in eo sensu explicari. Cum enim expresse dicat: *Antequam alijs demonstratur per quos convincendus est, &c. sine aperta verborum & contextus violentia, per alijs nequeunt hic alij intelligi, quam ij per quos peccans convincendus est, quos antea dixerat post secretam monitionem in eum finem esse adhibendos.* Obijciunt tamen verba paulò antè præcedentia quæ sic habent: *Si autem post admonitionem iterum vel alio quocumque die id ipsum facere videritis, iam velut vulneratum sanandum prodatur* (scilicet Prælo, ut illi volunt) *quicquid hoc potuerit, prius tamen & alteri vel tertio demonstratum, ut duorum vel trium possit ore convinci, & competenti severitate coerceri.* Vbi Augustinus docet, peccantem prius vni vel alteri priuato demonstrandum quam prodatur Prælo. Sed hæc nihil faciunt ad rem: nam August. ibi aperte agit de denunciatione vel accusatione faciendâ non Prælo ut patri, sed Ecclesiæ siue Prælo ut iudici, & in ordine ad publicam punitionem, ut patet ex sequentibus, & ex ipso verbo *prodatur*, quod non tam significat secretam denunciationem soli Prælo sub secreto factam, quam publicam accusationem. Iubetur autem prodere sanandum, non per suavem vulneris vñctionem, sed per severam sectionem; ut patet ex verbis quæ August. ibidem mox subdit.

August.

183

Hugo autem suprà citatus nihil contra nos dicit, sed aperte nostrum sensum probat. nam docet, peccantem primò secretò esse corripiendum per eos qui culpæ conscij sunt, quales sunt propriè ij qui peccantem primò deprehenderunt, siue vnus, siue plures sint: & deinde denunciandum Superiori ut patri; ac postea adhibendos testes, qui eum obseruent, prout tertia hæc sententia docet faciendum. Nec Hugo vllò verbo vel leuissimè indicat talem primò demonstrandum esse testibus, quam Prælo ut patri.

184

Ut autem videamus quanam ex his sententijs sit verior, eas quantum fieri potest con-

ciliemus, puto hic distinguendum inter seculares & Religiosos; nam credo regulariter alio modo procedendi hac in re vrendum erga hos: alio erga illos. Quod expresse etiam docet Innocentius III. cap. *Quando & qualiter*. 24. de accusationibus, ubi in fine cum dixisset quòd accusationem debet præcedere inscriptio, & denunciationem caritatiua monitio, & inquisitionem clamorosa insinuat; subdit: *Hanc tamen ordinem contra regulares personas non credimus usquequaque seruandum, quæ (cum causa requiritur) facilius & liberior à suis possunt administrationibus amoveri.*

Huius ratio est Primò, quia communiter longè minus est natum nocere Religioso si Prælati eius secretum peccatum sciat, quam sit natum nocere seculari, quòd Prælati huius occultum peccatum sciat. Secundò, quia, ut docet Pontifex suprà, Religiosi possunt facilius siue minore suo incommodo, & magis pro voluntate Superioris à suis officijs, quæ sine incommodo propriæ salutis aut boni publici administrare nequeunt, amoveri. Tertiò, quia Prælati regularis potest longè facilius, efficacius & cum minoribus incommodis suum subditum secretò ad se delatum emendare, quam Prælati secularis suum subditum. Quartò, quia ad conseruationem boni communis longè magis necessarium est ceteri Religioso quam communitati seculari, ut vnum quòdque ipsius membrum agrotum in spiritu perfecte & modo quo fieri potest efficacissimo accuratissimo sanetur, & à futuro lapsu præseruetur; & consequenter cum bonum commune debeat præponi bono priuato; facilius contingit ut in corrigendis Religiosis omnino expediat ut remediò efficaciori, etli coniuncto cum infamia aliquo modo maiore ipsius corrigendi, quam in secularibus.

Prima autem ratio ex iam allatis probatur Primò, quia, cum in ceteri Religioso maior sit coniunctio omnium membrorum inter se & cum suo capite, & bonum totius magis pendeat à bono singulorum, quam in communitate secularium, sit ut illius Superior communiter magis amet suos inferiores, & singulorum bonum, quam Prælati secularis amet suos subditos. & consequenter ille communiter maiore cum amore, beneuolentia ac circumspectione, ne qua ratione plusquam necesse sit noceat famæ sui subditi, aut quacumque alia ratione ei ob sit, hunc corrigit, quam secularis corrigit suos.

Secundò, quia cum Religio sit schola perfectionis, quæ suos præcipue doceat domare, & penitus quantum fieri potest exuere omnes passionibus ac inordinatos affectus, & inter eos hac in re maximè debeant proficisse Superiores; rariùs continget hos aliqua ratione abduci ut minus discretè vtantur dicta notitia peccati sui subditi, quam contingeret in Superiore seculari.

Secunda ratio probatur Primò, auctoritate Pontificis suprà citata. Secundò, quia cum Religiosi sæpè sine vlla sua culpa aut defectu soleant ob alios varios fines à suis officijs remoueri, nullum ijs ex eiusmodi amotione imminet periculum infamiz. Tertiò, quia cum Religiosis

Ddd 4

à suis

In correptione fraterna aliter procedendum cum secularibus, aliter cum Religiosis. Innoc. III.

185

Diversitas inter Religiosos & seculares quoad famam apud superiores seruandam.

Morbus aliquis membrum magis nocet communitati Religioz quam seculari.

186

187

à suis officijs amoris non minùs à monasterio de omnibus ad eorum sustentationem necessarijs prouideatur quàm antea: item cum per administrationem eiusmodi officij non possint sibi aliquas diuitias comparare, eò quòd nequeant habere aliquid proprium; ex eiusmodi ab officio amotione aut nullum aut vix vllum sentiunt incommodum. Præsertim cum sæpè facile sit Prælato eis committere aliud officium, quod ijs non minùs commodum futurum sit. Quæ secus omnino se habent in secularibus.

188 Tertia probatur, quia Prælatus regularis potest faciliùs & sæpè sine vlllo subditi incommodo huic subtrahere occasiones peccandi, vt iam ostendi. Secundò, quia Religiosus cum sit suo Superiori magis coniunctus, magis eum solet amare, ideoq; eius correptione æquiore animo communiter accipiet. Item cum ei sit magis subiectus, ab eoq; in omnibus pendeat, & quodammodo sit semper in eius oculis, ita vt Superior, quando diligenter inuigilat, possit faciliè ipsius defectus deprehendere, eius auctoritate, aut ex amore, aut ex timore vehementiùs ad emendationem excitabitur. Quæ communiter non habent ita locum in secularibus.

189 Quarta probatur, quia, (vt omittam seminationem hæreseos, proditorie, & similia, quæ directè oppugnant bonum communitatis aut innocentis, ideoq; vt ostendi num. 147. & sequentibus, debent communiter statim aperti Superiori) alia peccata, quæ ex se directè & immediate nocent soli peccanti, & solùm indirectè & per accidens alijs, communiter magis nocent bono communi facta à Religioso, quàm si fiant ab alio. Primò, quia in Religione est maior coniunctio membrorum inter se, & cõsequenter vnius malum magis dolet ac nocet alijs. Secundò, quia cum Religiosi profiteantur statum perfectionis, quæuis vitia in ijs faciliùs notantur, aliosq; scandalizant, ac grauem infamiam Religioni pariunt, si qua ratione secularibus innotescant. Quando autem aliquis sensim assuescit committere aliquod peccatum, faciliè illud coram alijs committet, atque adeò etiam coram secularibus, si cum ijs habeat vllam conuersationem; aut destitutus gratia Dei apparebit carere omni spiritu, ac moribus dissolutior, & ita minnet bonum odorem suæ Religionis: nam seculares faciliè ex malis moribus vnius Religiosi cum magna ceterorum iniuria conijciunt omnes esse tales. Tertiò, quia cum Religiosi ex regula & consuetudine teneantur sæpius confiteri & communicare, si incipiât alii peccato assuescere, faciliè continget vt sine sufficiente dolore id confiteantur, aut etiam præ pudore taceant, eò quòd pudeat eos toties repetere idem, præsertim cum teneantur semper eidem confiteri; atque ita sæpè cum magna Dei iniuria Sacramenta sacrilegè suscipient. Quæ non habent ita locum in secularibus, qui & varijs & rariùs confiteri possunt.

190 CONCLUSIO. In corrigendis peccatis secretis secularium Ecclesiasticorum siue laicorum, post secretam admonitionem frustra factam communiter primò adhibendi sunt alij priuati, qui eum relabentem obseruent & simul corri-

gant, si commodè fieri possit, & speretur emendatio; & deinde si hos non audiat, admonendus Superior vt pater, aut vt iudex, prout res exiger. In Religiosis verò post secretam admonitionem frustra factam communiter admonendus est Superior vt pater, antequam moueantur alij testes. Atque hac ratione puto secundam & tertiam sententiam ex suprâ relatis respectu diuersorum esse veras, easq; posse hac ratione conciliari. & hæc conclusio sequitur a pertè ex iam dictis.

191 Esti autem primam sententiam, præsertim respectu Religiosorum, reddant non improbabilem tum Doctorum, & maxime D. Thomæ, quos pro ea citauimus, auctoritas, tum etiã rationes pro ea allatæ; tamen, quia alij ferè communiter ei contradicunt, non putarem ea vtendam nisi fortè rarissimè, & quando ita valdè notabiliter maior speraretur fructus ipsius corripiendi. maxime autem habet locum quando est probabile periculum ne proximis priuati monitus ob merum denunciationis simularet emendationem, & postea oculus maneret in suis peccatis; aut ad horam emendatus, eò quòd manerent eadem occasiones peccandi; postea iterum in eadem peccata relaberetur: tunc enim putarem eum statim ad Prælatum deferendû, tamquam probabiliter desperetur eum aliter posse sufficenter emendari. quia cum, vt ostendi suprâ num. 117. & 121. correptio fraterna maxime adhibeatur, vt vitetur futurum fratris peccatum, ipsa censetur non satis efficaciter adhiberi ea ratione, quæ hoc non speratur sufficenter impediendum, atque ita quantum possum debeo eam adhibere, ea ratione quæ spero hoc impediendum.

192 Confirm. quia si post secretam monitionem deprehenderem eum in idem peccatum recidisse, tenerer eum deferre Prælato vt patri, vt ex D. August. docet secunda sententia; idque non ob aliam rationem, quàm quia tunc probabiliter timeo eum aliter in posterum non euitaturum peccata (nam si per secundam aut tertiam monitionem posset tolli omne periculum recidendi, non deberem eum deferre Prælato) ergo idem erit dicendum quando ante primam monitionem prudenter timeo, me non posse ei auferre periculum rursus peccandi, nisi eum statim deferam ad Prælatum.

In omnibus tamen his casibus diuersitas conditionum ac morum tam corripiendi, quàm Prælati, aliæque circumstantiæ, sæpè suadent alio atque alio ordine vt; quo casu, vt docet D. Thom. citatus n. 174. vtendum eo ordine, quem prudens caritas suadet.

193 Ex his etiam erit facile soluere rationes quas suprâ pro vnaquaque sententia attulimus, quatenus nostræ conclusioni possent repugnare. Ad rationem allatam pro prima sentent. n. 177. Respondeo eam vt summum probare, Religiosos posse aliquando se mutuo statim denunciare Prælato vt patri, omisâ secreta monitione, qua creditur quidem emendandus, sed minùs perfectè ac certò; de quo quid sentiendum sit iam dixi. Et puto illius sententiæ auctores de his solis loqui; quia posito casu quòd frater spe-

speretur mea secreta monitione emendandus, si secularis sit, vix unquam potest prudenter sperari eum melius corrigendum per immediatam denunciationem factam Prælato; ut satis probant rationes allatæ n. 185. Quare cum hoc ferè semper fieret, cum magno corripiendi incommodo illicitè fieret, quoties aliter speraretur emendandus.

194 Ad primum argumentum secundæ sententiæ allatum n. 179. Respondeo Christum ibi loqui de denunciatione faciendâ Prælato ut iudici, ut clarè insinuat S. Thomas 2. 2. q. 33. a. 8. ad 4. & in 4. citatus n. 174.

D. Thom.

Ad secundum, Respondeo maiorem intelligendam esse quantum fieri potest cum æquali aut ferè æquali fructu spirituali ipsius corripiendi, & bono communi; aliâ hæc tam sunt præponenda, præsertim quando hæc non est ira notabiliter magis lædenda in vno casu quam in alio, ut hic fit. Nam quando Prælati Religiosus est talis, qualis esse debet, & hic esse supponitur, eiusmodi cognitio ab eo habita vix potest plus nocere subdito, quam similis cognitio habita ab alio subdito; imò cum hic sæpè sit minus tenax secreti, fortè magis nocebit. Ideoque quiuis ferè prudens, & qui non agitur quadam ambitione, aut similibus pravis affectibus, communiter mallet suum peccatum cognitum esse prudenti Superiori à quo possit in spiritu aptè dirigi, præsertim quando ipse cupit se emendare, & ita rursus suam vitâ ei probare, quam cuius alteri non Superiori, à quo non poterit ita iuvare. Quare quod aliqui Religiosi ita horrent imperfectiones à Superioribus suis cognosci quando hi prudentes sunt, ferè provenit ex affectu aliquo non satis mortificato, & minus propenso in studium perfectionis, qui in ijs non fovendus, sed corrigendus est. Ad Hugonem respondi n. 183. ubi ostendi eum pro nobis facere. Argumenta autem allata n. 180. pro tertîa sententiâ solum probant secundam partem nostræ conclusionis. Nam S. August. aperte de solis Religiosis loquitur.

D V B I V M X I.

Virum & quâ ratione quis possit hac ex parte cedere iure quod habet in suam famam, dando aliis veniam, ut ipsius occulta peccata extra confessionem cognita statim Superiori deferant, antequam eum secretè moneant.

195
Lorca.

Lorca hic disput. 47. num. 13. negat id fieri posse. Primò, quia eiusmodi generalis confessio iuris, quia vnus alijs generatim concedit ut occulta eius peccata ante secretam monitionem ad Superiorem quemcumque deferant, & imprudens & prodiga honoris profusio est; quia sæpè eiusmodi delatio non est ad nostram emendationem utilis, sed perniciofa, & consequenter eiusmodi confessio est inutilis.

Secundò, quia præceptum Christi de præmittenda secreta monitione ante denunciationem,

datum est non solum in fauorè ipsius corripiendi, sed etiam in fauorem ipsius correptionis, ut hæc melius & conuenientius fiat; & in fauorem quietis & pacis communitatis; & ut vitentur incommoda spiritualia quæ ex eiusmodi manifestatione oriri possunt; & hoc iure non potest cedere priuatus quisque.

Tertio, probari potest: quia Caiet. 2. 2. q. 73. Caietan. a. 2. docet, nos non esse dominos nostræ famæ: ergo non possumus cedere iure quod habemus ut ea nobis illæsa conseruetur.

Addit Lorca suprà, ut quis possit censeri hac ex parte cedere iure quod habet in suam famam, non sufficere quod faciat professionem in aliquo Ordine, in quo viget aliqua constitutio, qua omnes iubentur esse contenti, ut eorum defectus extra confessionem cogniti dicta ratione ad Superiorem deferantur; sed requiri specialem renunciationem, qualis requiritur in Iure ad effectus minoris momenti. Exempla autem eiusmodi nulla adfert. Sed posset adferri exemplum eius qui dedit alicui generatim potestatem agendi omnia sua negotia, aut etiam quærendi sibi commodam uxorem, qui non censetur ei dedisse potestatem cum aliqua suo nomine contrahendi, nisi id speciatim exprimat, ut ex l. Generali. 34. de ritu nuptiarum, docui l. Generali. tom. 2. de Sacram. disp. 24. dub. 9.

196
Lorca.

CONCLVS. I. Valide quis cedit hac ex parte iure quod habet in suam famam, dando alteri facultatem ut occulta sua peccata dicta ratione ad Superiorem deferat, quando hoc non cedit in præiudicium tertij qui e ratione infamatur. Ita Bañez 2. 2. q. 33. a. 8. dub. 2. ad 7. Valentia disput. 3. qu. 10. puncto 5. §. Quintus casus. Saitus in Valentia. Clau. conscientia lib. 11. cap. 4. n. 9. §. Quintus casus. Saitus. Turrian. fus. & n. 20. & cum multis alijs Turrian. disput. 89. dub. 4. Eandem necessariò tenent ij quos citavi dub. præced. pro prima sententiâ, docentes nos licitè fratris occulta peccata deferre ad Superiores, quoties id iudicamus ad eius profectum expedire. Item ij qui docent nos validè ei qui nos infamauit, remittere famæ restitutionem; quos infra citabo.

Bañez.
Valentia.
Saitus.
Turrian.

Prob. Primò, quia, ut docent Sotus lib. 4. de Iustitia q. 2. a. 3. Bañez suprà. Couarr. lib. 2. Variarum cap. 2. n. 8. Adrian. in 4. q. de reitut. sub finem. Lessius de Iustit. cap. 4. dub. 11. & plurimi alij; homo est verè dominus suæ famæ: ergo potest cedere iure quod habet ne alteri eius occulta peccata reuelentur; sicut, quia est dominus aliorum suorum bonorum, potest alteri dare veniam, ut ex ijs aliqua sibi accipiat aut alicui alteri det, quando hoc non cedit in præiudicium tertij.

Sotus.
Lessius.

Secundò, quia, ut docet Sotus lib. 4. de Iustit. q. 6. art. 3. & Lessius de Iustit. cap. 11. dub. 24. ab alio iniuste infamatus validè ei condonat restitutionem famæ: eiusdem autem potestatis est dare alicui veniam non restituendi nobis ablata, & dare ei veniam ea auferendi; & consequenter qui potest vnum potest aliud.

Tertio, quia ipse Lorca suprà disp. 45. in appendice n. 14. docet, penitentem posse dare veniam confessario, ut peccata sua in confessione audita alicui alteri narret, atque esse communio-

Lorca.

niore

niorem sententiam: ergo multò magis poterit alteri dare veniam reuelandi occulta sua peccata alia ratione cogita. Quæ adhuc magis infra probabuntur.

198

CONCLUSIO II. Eiusmodi iuris renunciatio non solum valde, sed etiam licite ac laudabiliter fit, quando bonus finis intenditur, qualis est maior sui mortificatio, aut in spiritu profectus, aut ut quis hac ratione exciteatur ad vitanda peccata, aut ut Superior possit eum facilius dirigere, & auferendo ei occasiones peccandi, aliaue ratione ipsius relapsus impedire; aut etiam quia hoc bono alicuius communis expedit, quæ omnia commoda ex ea renuntiatione communiter præsertim in Religione prudenter sperantur. Hanc etiam tenent auctores citati pro I. concl.

Probat, quia laudabiliter ob dictos fines meos omnes defectus meo Superiori etiam extra confessionem aperio: ergo etiam laudabiliter do alteri facultatem eos eidem aperiendi.

Anteced. probatur, tum quia nulla potest hic adferri ratio, cur id, cum ad tales fines vile sit, nec aliàs aliquid mali contineat, laudabiliter fieri nequeat, tum etiam quia D. Augustinus in suis Confessionibus ob aliquos ex his finibus laudabiliter suos defectus toti orbi aperuit: ergo multò magis possum meos defectus honestè aperire meo Superiori, quia hoc ad dictos fines potest esse vtilius, & minus potest habere incommoda.

August.

199

Consequentia probatur, quia quod per me alicui possum significare, nulla est ratio cur id nequeam honestè significare per alium: quod in hoc casu facio, dum ei do facultatem ut defectus quos in me notat, meo Superiori quasi meam vicem hac in resupplendo aperiat ea intentione ut me in ijs corrigendis iuuet.

Confirmatur, quia non solum honestè possum semel aut iterum meos defectus ita Superiori aperire, sed etiam ob dictos fines me voto obligare ut eos ipsi ita semper statim temporibus aperiam: cum enim hoc facere sit honestum, & ad profectum meum spirituale valde vtile, nulla est causa cur nequeam id honestè vouere, sicut igitur possum me obligare ut eos per me Superiori semper aperiam, ita potero me obligare ut id faciam per alium dando ei facultatem ut quoscumque cognouerit Superiori meo aperiat.

200

Dices, esse diuersam rationem. Primum, quia quando aperio meo Superiori meos defectus, numquam id faciam eo tempore quo meus animus erit male affectus circa eiusmodi delationem, aut quando id valde horreo fieri, aut quando animus non erit aliquo modo paratus ad Superioris admonitionem suscipiendam; atque ita numquam postea turbabor ob eiusmodi delationem factam, aut delatorem odio habebo: quæ sæpè contrà accident si alter me deferat, qui id sæpè faciet quando id cupiam non fieri: atque ita hinc turbationes & odia nascuntur. Secundò, ego mihi facile cauebo meos defectus narrare ei Superiori, qui creditur ea cognitione abusus, me apud alios diffamando, aut odio persequendo, aut indiscretè alia ra-

tione puniendo: alter verò facile poterit eos tali Superiori narrare, si eiusmodi generalem facultatem concessero.

Sed hæc nullo modo probant diuersitatem esse talem, quæ dictam consequentiam evertant saltem commode intellectam.

201

Ad secundam probationem, Respondeo eam pro me facere, quia solum probat esse medium ad meam emendationem longè efficacius si alteri eam facultatem dem, quam si eam mihi referuerim, & solum statum meos defectus Superiori ita aperire. Quia si id non voueam, ipsum tunc maxime omittam, quando eo medio ad meam emendationem maxime egebo; scilicet quoties non habeo voluntatem me emendandi. Imò si id voueam, erit quidque periculum ne votum violem, quia affectus qui me trahet ad alia peccata mortalia committenda, quandoque etiam poterit me trahere ad violationem voti. Quando verò alteri eam facultatem concedo, hic deferet me etiam tunc cum nolo me per me emendare, aut carere aliquo officio, in quo sæpè habeo occasiones peccandi, ideoque sæpius pecco: atque ita coget me ad emendationem. Et cum illi eam facultatem concessero, numquam potero merito agere ferre si ea utatur, aut si id agere feram aut inde turber irrationabiliter faciam, & mihi imputare debebo. Et sicut quantumcumque horream Superiorem nosse meos defectus, nihilominus teneat eos ipsi aperiri hoc voluissim, ita ille hoc non obstante & quamuis videat me ideo turbandum, quando alia mala inde non timentur, poterit eos ipsi aperire; quia hoc & meo & communis bono expedit. Vtrique enim est melius me initio non nihil turbari, & postea oblata occasione peccandi aut alia ratione compulsus abstinere à peccatis, quam aliter in ijs perpetuè hæcere; & consequenter melius est me eo casu deferri ad Superiorem, quam non deferri. vide dicta num. 114.

Dices, hæc solum probare, melius esse in eiusmodi casibus me ad Superiorem deferri, quando aliàs priuatum monitus, me non emendarem: secus verò esse quando hac ratione me emendarem.

202

Respondeo, Religiosum communiter longè melius & perfectius & certius posse emendari per suum Superiorem (saltem quando hic est talis qualis esse debet, prout hic supponitur per priuatum, quam per aliquem priuatum. Primum, quia huius auctoritatem non tanti facit, nec ab eo timet pro peccatis puniri. Secundò, quia hic nequit ei persistentia peccato huius occasiones auferre. Tertiò, quia si ab hoc semel deprehensus timeat, si iterum coram eo peccet, ad Superiorem deferri, facile simulabit emendationem, & cum voluit peccare eius conspectum fugiet; atque ita omnem correptionem eludet. Quibus malis Superior facile poterit occurrere, aut statim ab eo amouendo occasiones peccandi; quod sæpè suauissime, ita ut alter id non sentiat, facere poterit, v. g. applicando eum alteri officio, quo non minus libenter fungetur. Aut si id sine incommodo statum

Religiosus
melius emendatur
per suum Superiorem
quam per priuatum

statim fieri nequeat, poterit singulariter per se aut etiam per alios emendando non suspectos circa eum inuigilare. Quod Superior sapè potest ita facere ut nec alter id deprehendat, nec apud eos quipsum observant diffametur, aut reddatur suspectus antequam relapsus deprehendatur. ut si non dicat expresse ut obseruent an tale aliquod peccatum committat (quod communiter imprudenter faceret) sed solum horretur utin eo familiaritatem se insinuet sæpius cum eo familiariter agendo, & deinde quandoque eos circa eius aliorumque mores & propensiones interrogando sub generalibus terminis, sub quibus Superiores de suorum etiam non suspectorum vita solent interrogare. Ex quibus patet peccantem non solum hac ratione per Superiorem communiter perfectius corrigi, sed etiam id semper esse præsumendum, nisi de contrario clare constet: quod vix unquam fieri potest, nisi constet Superiorem ad regendum esse omnino ineptum, aut valde male erga corrigendum affectum. de quo mox dicam.

Ad secundam probationem, Respondeo quando Superior prudenter creditur ea cognitione abusus alterum publice contra iustitiam diffamando, aut valde graviter ac indiscretè puniendo; tunc facultatem supradictam ad hunc casum non extendi; atque ita tunc peccantem non debere ad Superiorem deferri, nisi omnino prudenter crederetur hoc ad eius emendationem aut alia graviora mala emendanda esse necessarium; ita ut omnibus spectatis crederetur minus esse incommodum talem eo casu deferre, quam id omittere. Sed talia de Superiore numquam sunt præsumenda aut etiam timenda, nisi ex aperta experientia constet eum esse talem. Ita cum aliis Turrianus hic disput. 89. dubio 4. §. Addendum vero.

Nec concessio talis facultatis potest censi imprudens, eo quod timeri possit ne is, cui concessa est, aliquando ex malicia aut imprudentia ea in tali casu utatur; tum quia hoc non facile de aliquo est præsumendum nisi constet eum esse ita imprudentem aut malum; cui etiam fatemur talem facultatem non esse speciatim concedendam: tum etiam quia qui talis est, ferè eadem facilitate abutetur notitia quam habet de alterius peccato sine tali concessione, quam cum ea; atque ita ex ea concessione vix imminet vllum periculum.

Ex his erit facile solvere argumenta allata pro Lorca supra num. 195. Ad primum, nego assumptum, scilicet talem concessionem fore imprudentem aut prodigam: nam prudentissimè pro maiore & securiore nostro spirituali profectu aliquod periculum aut damnum famæ subimus: ad illum autem finem, ut iam ostendi, eiusmodi concessio ferè semper est utilis, & sæpius necessaria. Et quod possit aliquando ex imprudentia aut deferentis aut Superioris contingere aliquod incommodum, non ita curandum est, illique periculo vitando spes boni spiritualis prudenter præfertur, præsertim cum eiusmodi delatio absolute sem-

per cessura sit in bonum correpti, nisi hoc suo vitio impediatur (quod sibi imputare debet) præsertim quando hæc delatio non fit tali Superiori, quem aperte constat ob odium erga corripiendum aut aliam ob causam ea notitia male usurum: ad quem casum, ut supra dixi, hæc concessio non censetur extendi. Ex quo patet etiam responsio ad illius argumenti probationem.

Ad secundum, Respondeo Primò, illud præceptum de ordine in correptione servando in solius emendandi fauorem obligare: nam in eius etiam fauorem ipsa correptio fit. Respondeo Secundò, eiusmodi concessionem & modum corrigendi fratrem, præsertim Religiosum, saltem extra casum allatum numer. 203. (ad quem hæc concessio non extenditur) ex se nata esse iuvare ad meliorem emendationem & fructum spirituales corrigendi, ac etiam ad maius bonum commune; nec unquam aliter fieri nisi ex vitio corrigendi: quod sibi, non illi concessioni imputare debet. Adde, etsi inde quandoque turbationes aliqua correpti aut etiam aliorum sequantur ex horum infirmitate, aut fortè ex aliqua imprudentia denunciantis aut Superioris; hæc esse longè minorâ ipso fructu qui ex illa concessione eiusque usu communiter sequitur, etiam eo casu, quo initio tales aliqua turbationes inde oriuntur, ut ostendi num. 201. & 202. magisque patebit ex dicendis infra in casu, quo talis cessio iuris, ac praxis deferendi aliorum defectus immediatè ad Superiorem usurpatur in aliqua communitate.

CONCLUSIO III. Ut quis hæc ex parte sufficienter censeatur cessisse omni iure quod habetne ipsius occulti defectus siue peccata deferantur ad Superiorem antequam ipse de ijs sit priuatim monitus, sufficit quod liberè emitat vota in Religione, in qua novit esse & servare regulam, qua statuitur ut omnes sint contenti ut sui defectus siue peccata dicta ratione ad Superiorem deferantur per quemvis, qui extra confessionem ea novit: præsertim si ea regula initio sui ingressus & antequam vota emitat, speciatim ipsi proponatur, tamquam ab eo in posterum cum reliquis observanda. Ita Turrianus & Valentia supra. Eademque sine dubio est sententia aliorum quos citavi in r. conclus.

Probat, quia si esset aliquis defectus in ea cessione, esset aut quia talis non satis novit quid agat; aut quia talis cessio ex vi illius voluntatis, qua talem regulam cum cæteris acceptat se observandam, non censetur ad omnia peccata ea ratione ad Superiorem deferenda extendi; aut demum, quia non satis liberè in eam consentit: nec enim potest alia causa fingi cur eiusmodi cessio non sit absolute valida & sufficiens: atqui nihil horum dici potest: ergo illa debet absolute dici valida & sufficiens.

Minor probatur, quia cum emissuro vota talis regula aperte proponatur tamquam ab alijs servata & ab eo servanda, in qua clare exprimitur quod ipse debeat esse contentus ut omnia eius vitia siue peccata ad Superiorem deferant.

205
Ordo correptionis fraternæ in solius corripiendi fauorem obligat.

206

Turrian.
Valentia.

ferantur per quemvis, qui extra confessionem ea cognoverit, non potest ignorare in quid consentiat, dum eam acceptat. Item cum verba regulæ aptè generalia sint, idque eam acceptans intelligat, voluntas quæ eam acceptat, quæque consequenter iure suo cedit, est necessariò generalis & ad omnes casus sub ea contentos extenditur. Rursum cum nihil eum cogat eam Religionem ingredi, aut eam regulam acceptare, sufficienti libertate eam acceptat; & alias eius vota essentia, quia hæc non requirunt minorem libertatem quam illa acceptatio.

Ad rationem Loræ allatam numero 196. Respondeo, secundum omnia iura eiusmodi confessionem esse sufficientem, ut habeat generalem effectum respectu omnium casuum sub regula contentorum, præsertim cum & præcis eam ita explicet, & eius totalis observatio (ut infra ostendam) cedat in magnum bonum tum ipsius Religionis, tum etiam ipsius Religiosi ita suo iure cedentis, nisi hic suo vitio eius utilitatem ac fructum impediatur, ut ostendi supra; atque adeo cum illa generalis cessio eiusque integra observatio sint ex se vitales tam Religionis quam ipsi cedentis, & consequenter favorabiles, sicut reliqui fautores debent extendi, quantum regulæ verba, & alia eius Religionis constitutiones patiuntur. Nec eorum favori debet obesse vitium cedentis, ex quo, quandoque per accidens & præter illarum naturam contingit ex illa observatione aliquod incommodum ipsi cedenti oriri; quia æquum est ut cuique privato potius suum vitium noceat quam ipsi Religionis sive communitati, cui omnino expedit integra regulæ observatio, ut supra ostendi, & magis infra patebit.

Exemplum autem procuratoris requirentis speciale mandatum ut ducat alterius nomine uxorem, nihil facit ad rem, quia sub aliis illis verbis hæc commissio, secundum communem hominum procuratores sibi constituentium sensum non censetur comprehendere. Quod locum non habet in dicta cessio-
ne iuris.

Dices, In generali concessione non veniunt ea que quis non esset verosimiliter in specie concessurus. Ut habetur regula iuris 81. in 6. atqui multi sunt casus in quibus talis speciatim de ijs interrogatus noller sua peccata ita ad Superiorem deferri (quoties scilicet hoc esset cum notabili ipsius turbatione futurum); ergo non censetur in his casibus hanc delationem concedere.

Respondeo, nego minorem: nam omnis obna fide petens in Religionem admitti, in observationem regulæ sibi expressè propositæ consentit ea ratione, quia necesse est eum consentire ut admittatur, siue excludendo omnes exceptiones cum quibus scit se nullo modo fore admittendum: atqui petens admitti in talem Religionem nullo modo admitteretur, si sciretur nolle consentire ut in dictis casibus eius vitia possent ad Superiorem ita deferri. & id satis clarè per ipsius regulæ &

communem in ea Religione praxim, quam novitius potest facile intelligere, ipsi significatur: ergo si bona fide pergat petere admissionem, & censetur & rehetur hinc eiusmodi exceptionibus eam concessionem facere. Si autem mala fide agat, hoc ipsi, non autem Religioni, nocere debet.

D V B I V M XII.

Utrum possit in aliqua Religione fieri generalis constitutio, ut quivis peccatum alterius extra confessionem ad Superiorem deferat, quantumvis peccans credatur secreta monitione posse corrigi, aut de facto correctus esse?

Nota Primò, nos hic agere præcipue de denunciantione faciendi Superiori ut patri, & in eum finem ut peccans optimo quo fieri poterit modo emendetur, aut etiam ut bono communi Religionis prospiciatur.

Nota Secundò, eiusmodi constitutionem dupliciter fieri posse. Primò, independentè à consensu subditorum, ut si auctiam admissis in Religionem & ea de re non requisiti imponatur eiusmodi regula; aut iam ante condita ijs qui in Religionem eam admittuntur, prius non proponatur; ita ut dum professionem faciunt ignorent talem regulam esse, aut observari.

Secundò, ita ut non imponatur nisi scientibus & consentientibus, ut his quando omnibus volentibus Religionem ingredi ante emissâ vota ea regula ut ab ijs in posterum observanda proponitur, atque ita iuxta dicta dub. 11. acceptando eam regulam iure, quod hæc ex parte habent, cedunt; secus autem fit in priore casu, quo hoc iure non cedentibus ea regula imponitur. Et de utroque casu hæc questio potest procedere.

Prima sententia absolute negat, eiusmodi constitutionem legitimè fieri aut obligare posse, siue in priore siue in secundo casu. Hanc acriter defendit Lorca hic disp. 47. num. 8. & putat contrarium non esse probabile.

Probat eam præcipue, quia iure naturæ à Christo explicato Matth. 18. tenemur fratrem peccantem secretò admonere, priusquam eum ad Superiorem deferamus, quoties illa monitione speratur posse corrigi. Cuius ratio est, quia hac ratione cum minore sua infamia, & sapè etiam cum minore sua turbatione poterit corrigi. Nec refert quòd acceptando illam regulam iure suo videatur hac in re cessisse, quia hoc præsertim ratione tam generali validè facere non potest. Quod ipse probat argumentis allatis numer. 195. & 196. Deinde citat pro se S. Thomam, qui 2. 2. quæst. 33. artic. 7. ad 5. docet, Prælatum præcipientem subditis ut sibi denuncient secreta aliorum peccata ante secretam correptionem, facere contra præceptum Christi Matth. 18. citat etiam Sotum relect. de secreto, membr. 2. quæst. 4. conclus. 3. Adrianum, Paludan. Silvestrum, Navar. supra silvest. à me citatos numer. 180. Deinde eam probat Nan-
aucto-

August.
Hugo à S.
Viñ.

auctoritate S. August. & Hugonis à S. Victore, qui docent fratrem peccantem prius secretò admonendum antequam deferatur ad Prælatum. quorum verba citauimus n. 180. & 181.

211

Secunda sententia huic omnino contraria generatim docet, talem constitutionem in utroque casu licet fieri, & obligare subditos, quamdiu Prælatus est, siue creditur esse talis, qui eiusmodi notitia non utitur aliter quam debet: prout debet præsumi, quamdiu non constat de contrario. Hanc tenent Auctores citati supra n. 173.

Probatur autem Primò, ratione allata supra n. 177. quia scilicet bono spirituali ipsius peccantis expedit eius peccatum ita ad Superiorem deferri; quod proponendum est curationi illius detrimenti famæ, quod ipsi inde accidit, quæ magis confirmari n. 202.

Qua ratione
eiusmodi
constitutio
sit utilissima
bono communi.

Secundò, quia hoc valde expedit bono communi ipsius Religionis; præsertim quando aliàs esset periculum ne Superior infans defectus illius subditi committat ei aliquod officium aliunde negotium, quod cum aliorum scandalo alioque spirituali detrimento sit administraturus. quod facile posset contingere nisi subditi fratrum peccata, præsertim aliquo modo graua, statim ac ea sciunt ad Superiorem deferant; maxime in Religione quæ varia officia erga proximos externos exercet, v.g. concionando, audiendo confessiones, docendo pueros, &c. Semel enim deprehensus aliquod peccatum committere, probabiliter potest præsumi, id sæpius data occasione commissurus, nisi hac ei omnis quantum fieri potest tollatur. Ex quo tandem natum sequi aliquod scandalum cum graui Religionis infamia & laicorum offensione.

212

Dices Primò, Huic periculo poterit sufficenter occurrere si peccans per secretam monitionem emendetur per eum, qui peccatum conscius est. Sed hoc non satisfacit. Primò, quia priuatim eum corripiens nunquam poterit scire an alter ea ratione sufficienter sit emendatus; cum hic timens deferri ad Superiorem facile possit fingere emendationem (vt sæpè continget) & interim secretò aut coram aliis eadem peccata perpetrare. Atque ita fieri poterit vt idem à diuersis sæpè secretò reprehensus credatur à singulis emendatus. Secundò, quia, vt patet ex dictis, secretò fratrem corripiens sæpè putat eum tantum semel ex occasione & fragilitate peccasse, atque ita facile à se posse corrigi; cum interim sæpius & ex consuetudine peccet, nec possit corrigi nisi amoveatur ab officio aut simili ratione. Tertiò, quia fieri potest vt vel peccans vel eum corripiens mittatur ad alium locum; & sic hic non poterit alterum obseruare an pergat post suam correptionem peccare.

Priuatim sæpè nequit alium efficaciter corrumpere.

Quibus omnibus malis maxima ex parte facile occurritur, si omnes videntes fratrem peccantem eum statim deferant ad Superiorem, qui ex variis poterit facile intelligere an ille sæpius & ex consuetudine peccet, aut semel correptus se emendet an non; atque ita facile ei conueniens remedium adhibebit.

Quæ commodas, spectando tam bonum commune Religionis, quod maxime faciendum est, Coninck de act. supernat.

quàm priuatim ipsius corrigendi, videntur præponderare alicui famæ detrimento, quod peccans inde possit pati: quod sibi etiam imputare debebit, vt qui voluntariè peccando ei causam dedit.

213

Dices Secundò, Etsi ea commoda sint magni momenti, non debent tamen procurari per iniustam læsionem famæ proximi. Respondeo hoc nihil facere ad rem, nisi prius probetur illam delationem esse iniustam: quod Auctores illius sententiæ negant, nam sicut non obstante læsione famæ proximi possumus eum deferre ad Superiorem quando aliter putatur non posse corrigi, nec censetur hoc faciendo eius famam iniuste lædere, quia bonum eius spirituale proponendum est bono famæ: ita video eum, etiam si credatur aliter emendandus, sine iniustitia posse deferre ad Superiorem, quoties maius eius spirituale ac etiam communicatis bonum inde speratur: præsertim si Superior hoc ob dictos fines præcipiat.

Confirm. quia, eò quòd id publico bono communiter valde expedit, præsertim in locis non ita multum hæreticis infectis, inquisitores iuste præcipiunt omnes cognitos hæreticos, quantumuis occulti sint, & sperentur priuata monitione posse corrigi, statim ad se deferri, vt hac ratione possit efficacius & certius occurrere periculo, quod aliàs reipublicæ immineret, si illi priuatim admoniti non corrigerentur, vt cum communi sententia docet Lorca hic disp. 47. n. 23. & Bañez q. 33. a. 8. dub. 2. ad 7. Ergo similiter Superiores Religionis alicuius, cui valde expedit omnia peccata subditorum coram aliis facta denunciari Prælato, poterunt præcipere vt hoc fiat.

Orca.
Bañez

Probatur Tertiò, quia Innocentius III. cap. Qualiter & quando. 23. de accusat. in fine, cum dixisset denunciationi præmittendam esse caritativam monitionem, subdit hunc ordinem in personis regularibus non esse vsquequaque seruandum; aperte ostendens ob bonum publicum in his contrarium posse obseruari.

214

Innoc. III.

Quartò, quia eiusmodi constitutio aperte habetur in regulis Fratrum Minorum, quas vocant Baccinonenses: vbi, vt refert Bernardinus de Arenalo, sic habetur: Debeant fratres exeuntes in reditu suo Guardiano notabiles excessus sociorum suorum intimare. Quòd si non fecerint, per Superiorem cui hoc confiterit, in ieiunio panis & aque, vel aliàs puniantur. Et si vnus frater alterius fratris excessus sciuerit per duas vias, vtpote per confessionem & aliter, nihilominus sic Guardiano vt dictum est dicere debeat.

Bernardin.
de Arenalo.

Similia habentur in regulis Prædicatorum dist. 1. c. 18. §. 6. vbi dicitur: Si quis tale quid (scilicet peccatum ex recensitis paragraphis præcedentibus) extra monasterium commiserit, frater qui cum eo est studeat eius excessum Prælato quantumcuius intimare. Deinde iubet eum qui peccauit vterius ad eum locum non redire, nisi postquam legitime fuerit iudicatus se sufficienter emendasse. Quod ob sequentia videtur intelligendum, quando peccatum coram aliquibus externis fuit commissum. Deinde subdit: Si verò eiusmodi peccatum occultum fuerit (ita scilicet vt solus

215

Regula Prædicatorum.

E e e focius

socius, qui id iubetur denunciare Prælatum, id sciuerit) *disquisitione secreta* (qua scilicet Superior accepta alterius denunciatione, secretè veritatem inquit) *secundum tempus & personam condignam agat penitentiam*. Cum igitur hæ regulæ toti Ordini post maturam deliberationem sint præscriptæ, & in praxim redactæ, & à tot viris doctissimis receptæ, & à Summis Pontificibus aut expressè aut saltem tacitè sint approbatæ; non videntur posse prudenter accusari tanquam aliquid contineant naturæ ac Christi legibus contrarium.

276
Lorca.
Matth. 18.
Respondet Lorca suprà, eas regulas ita intelligendas esse, ut iubeant socij excessus denunciari Superiori præmissa prius correptione secreta iuxta ordinem Matth. 18. præscriptum, & quando hæc frustra adhibita fuerit.

Sed hoc dici nequit. Primò, quia vtraque absolute & generatim iubet tales defectus deferri, nec ullum casum excipit. Secundò, quia regula Prædicatorum iubet eos *Prælatum quantumvis* (sive statim) *inimare*. Secundum illam autem explicationem, sæpè non deberent eos deferre ad Prælatus; quoties nimirum alter crederetur priuatim monitus corrigendus: quod de illo primò in peccato depreheso ferè semper deberet præsumi, præsertim si admonitus diceret se emendaturum delictum, quod timore denunciationis ferè semper faceret, atque ita rarò, nisi quis sæpius ab eodem in talibus peccatis deprehenderetur (quod non ita sæpè contingit) eæ regulæ haberent locum. Item secundum illam explicationem nunquam fratris peccatum deberet quantocius ad Superiorem deferri, sed semper esset expectandum donec frater primò data commoda occasione secretò corripere, & deinde secundò ab eodem in eiusmodi peccato deprehenderetur. Quod quàm sit alienum à verbis & mente illius regulæ, quis non videat?

217
Tertio, dicta explicatio alia ratione apertè repugnat regulæ Barcinonensi: ubi dicitur id peccatum deferendum ad Superiorem etiam ab eo cui peccans id fuit sacramentaliter confessus, modò id etiam alia via sciat. Quod apertè esset falsum, si ille tunc solùm deberet illud deferre quando scit fratrem non posse secreta correptione à se corrigi; quia cum ipse sciat alterum hoc iam esse sacramentaliter confessum, debet supponere eum hoc cum vero proposito emendationis fecisse, ne aliàs temere suspiceretur eum sacrilegè Sacramentum accedere, imò aliàs ei non potuisset dare absolutionem. Et consequenter debet supponere eum iam esse secundum præsentem voluntatem emendatum; imò ipsa regula id ut minimum tanquam probabilius supponit, ne fratres temerè sacrilegos iudicet; & tamen præcipit eum deferri ad Superiorem. Ex quo patet, eam in hoc præcepto non tam spectare præsentem fratris correctionem quatenus priuatim fieri potest, quàm sternere certam viam in posterum præcauendi futura eius peccata, & omnibus imponendi quandam necessitatem cauendi eiusmodi peccata metu denunciationis.

218
His consonant quædam constitutiones à

S. Bonaventura editæ in quodam Capitulo generali, ubi dicitur: *Dogmatizare quòd frater qui fratrem correxit de aliquo excessu secundum formam Euangelij in occulto, non tenetur reuelare Superiori, qui potest & debet prodesse, & animarum pericula præcauere. Ex sententia totius Capituli definitum est doctrinam esse pestiferam*. Vbi, ut putat Lorca, non agitur solùm de eo qui frustra, siue sine spe emendationis fratrem peccantem secretò corripuit, sed de eo qui fratrem correxit, id est efficaciter corripuit, ita ut speret emendationem: quem, ut ostendit, præc. constitutiones Barcinonenses hoc non obstante iubent deferri ad Superiorem, ut pericula peccandi in posterum melius præcaueantur, aliisque incommodis obuietur.

219
Tertia sententia docet, eiusmodi constitutionem esse quidè licitam, posito quòd subditi omnes saltem tacitè liberè renuncient suo iuri, quod habent ne eorū occulta peccata deferantur ad Superiorem priusquam de eis frustra sint secretò moniti. Quod probat, quia scienti & volenti non fit iniuria; & quia ille ordo est præscriptus in fauorem corripiendi, cui potest renunciare. Addit tamen eiusmodi constitutionem videri duram, & quæ necessariò multis non ita perfectis sit occasio grauium turbarum. Ita Bañez 2.2. q. 13. a. 8. dub. 2. ad 7. in respon. ad 1. confirm.

220
CONCLUSIO I. Certum omnino est in aliqua Religione licitè posse condi eiusmodi regulam, qua omnes eius Religiosi iubeantur esse contenti ut omnes eorum defectus siue peccata extra confessionem ab aliis cognita, Superiori ab his possint aperiri, etiam in casu quo sperantur per secretam omnino correptionem emendandi, saltem quādo subditi in eiusmodi regulam liberè consentiunt: quod fit hoc ipso quo petunt in eam Religionem admitti, in qua sciunt eiusmodi regulam esse ac obseruari, quia hoc ipso cedunt iure, quod habent ne alios deferant ad Superiorem non seruato ordine correptionis. Ita omnes Auctores citati suprà dub. 1. conclus. 1. Et ex dictis ibidem & duabus seqq. concl. & ex rationibus iam allatis pro secunda sententia clare patet; quæ ut minimum hanc conclusionem apertè probant.

221
Deinde confirm. Primò, quia in nostra Societate est de facto eiusmodi regula à multis Pontificibus vnà cum reliquis constitutionibus approbata: quam accusare tanquam continentem aliquid iuri diuino ac naturali repugnans, est accusare crassi erroris non solùm S. Patrem Ignatium nostræ Societatis ac regulæ auctore, sed ipsos etiam Summos Pontifices, qui nostrum institutum easque regulas approbarunt. Nam si illa aliquid tale contineret, esset regula iniqua iuri naturali ac diuino repugnans: & consequenter Summi Pontifices eam approbando, approbassent aliquid iuri diuino ac naturali repugnans, quod sine eorū insigni nota dici nequit.

222
Respondet Lorca, Pontifices approbasse quidem generatim totum institutum, non tamen singulas eius regulas. Quod confirmat, quia nullum Religionis institutum maiore plausu à Summis Pontificibus confirmatum est, quam Carthu-

Nolius constitutiones repræsentat Pontificibus approbationibus innotat.

Lorca.

Carthusianorum; & tamen disputatur an regula quæ eos iubet abstinere carnibus etiam cum periculo vitæ, sit licita; multiq[ue] opinantur esse illicitam.

Sed hæc dici nullo modo possunt de nostris constitutionibus. Primò, quia, cum nostrum institutum fuit approbatum primò à Paulo III. deinde à Iulio III. id fuit factum cum summa multorum contradictione, & in id omnesq[ue] eius constitutiones exactissima disquisitione; ut patet ex Ribadina in Vita S. Patris nostri lib. 2. c. 17. & lib. 3. c. 21. Ex quo patet, nihil in iis à Pontifice approbatum nisi sigillatim bene perpensum.

Deinde cum postea multi multa in nostro instituto eiusq[ue] constitutionibus reprehenderent, ac sinistrè interpretarentur; Gregorius XIII. edita bulla quam integram refert Ribadina lib. 3. Vita S. P. nostri cap. 23. inter cetera ait: *Præcipimus igitur in virtute sanctæ obediencie, ac sub pœnis excommunicationis lata sententia, nec non inhabilitatis ad quavis officia, & beneficia secularia, & quorumvis Ordinum regularia, eo ipso absque alia correptione incurrendis, quarum absolutionem nobis ac successoribus nostris reservamus, ne quis cuiuscunque gradus, status ac præminentie existat, dictæ Societatis institutum, constitutiones, vel etiam presentes (scilicet litteras Apostolicas) vel quemvis earum, vel supradictorum (scilicet instituti & constitutionum) articulum, vel aliud quidvis supra dicta concernens, quovis disputandi, vel etiam veritatis indaganda, quovis colore directè vel indirectè impugnare, vel iis contradicere audeat.* Videat igitur Lorca, an per hanc Pontificis bullam ei liceat aliquam regulam, in nostris constitutionibus tanquam iuri divino ac naturæ contrariam reprehendere. Sed credo virum bonum id facturum non fuisse, si hanc bullam legisset.

Ad confirmat. Respondeo Primò, constare quidem aliquos impugnare decretum Carthusianor[um], quo prohibetur egris comedere carnes, etiam eo casu quo id iudicatur necessarium ad evadendum mortis periculum; sed inde non probatur, hoc decretum esse illicitum, aut imprudenter factum, nisi prius probetur illos Auctores bene siue rationabiliter facere tam sanctum institutum impugnando tanquam irrationabile, & iuri naturæ ac divino repugnans: si enim contineat aliquid irrationabile & iuri divino ac naturali repugnans, ipsum etiam simpliciter erit tale; sicut lex est simpliciter impia, quæ vel unum articulum impium continet, etiam si alios habeat laudabiles. Cum igitur hoc non nisi summè temerariè & cum gravissima in sanctissimum Ordinem iniuria dici possit, ego sanè non video quomodo illa regula tanquam rationi repugnans prudenter impugnari possit.

Respondeo Secundò, longè esse aliam rationem illius regulæ Carthusianorum & nostræ. Primò, quia illud tam rigidum decretum de non comedendis vnquam carnibus fuit statutum in Capitulo quodam generali anno 1254. multis annis post institutionem Ordinis, eiusq[ue] per Alexandrum III. & Cælestinum III. approbationem: vide Petrum Sutorem lib. 1.

Coninck de act. supernat.

tract. 3. c. 8. Quare Pontifices approbando institutum non approbaverunt simul illud decretum. Constitutiones autem nostræ, & in iis illa regula, quam Lorca impugnat, erant exactè conscriptæ quando institutum vnà cum constitutionibus fuit approbatum, præsertim à Iulio III. & Gregorio XIII.

Secundò, est magna inter hæc differentia: nam institutum Carthusianorum non habuit initio tam acres oppugnatores, qui exactissimè in ipsum eiusq[ue] constitutiones inquirerent, ac Pontifici proponerent quæcunque possent videri aliqua ratione minus convenientia; sicut habuit nostra Societas; quare huius omnes regulæ à Pontificibus ante eius approbationem fuerunt exactius examinata.

Tertiò, quia non est ita sigillatim ac strictè prohibitum impugnare institutum aut constitutiones Carthusianorum, sicut est prohibitum à Gregorio XIII. impugnare constitutiones nostræ Societatis.

Quartò, quia illa regula quam Lorca impugnat, fuit olim à quodam è Societate nostra dimisso, libello ad id conscripto impugnata, tanquam contraria dicto Christi præcepto & à Gregorio XIII. defensa damnato illius libelli auctore, ut refert Alphonsus Rodrigues in Exercitio perfect. 3. p. tract. 8. c. 6. cuius facti sunt etiam multi testes in Societate, ut refert Turrian. hic disp. 89. dub. 4.

Respondet Lorca, hoc nihil probare, quia nullum tale decretum Pontificis in aliqua bulla exstat. Additq[ue] quosdam è nostra Societate negare eiusmodi confirmationem illius regulæ. Sed hæc Responsio nullo modo satisfacit. Primò, quia, ut Pontifices factum alicuius particularis hominis damnent, non est semper opus ut aliquam bullam ad hoc edant, nec damnatio idè est minoris momenti, aut idè minus probat sententiam, quam damnatus impugnat. Quòd autem aliqui ex nostris ignorèt eiusmodi factum, nihil facit ad rem, quia non omnes debent omnia scire: sed ad id probandum sufficit esse aliquos fide dignos qui id testentur. Secundò, quia speciali ratione ad damnationem illius impugnatoris, & confirmationem illius regulæ nulla particulari bulla fuit opus, cum ad utrumq[ue] abundè suffecerit bulla citata n. 223. quæ expressè sub gravissimis pœnis prohibet impugnari nostras constitutiones, in quibus illa regula continetur. Et valdè probabile est illa verba speciatim esse addita, propter factum auctoris illius libelli, aliorumq[ue] similium. Atque ita Lorca habet ibi expressè verba bullæ quibus impugnatio illius regulæ prohibetur; & consequenter quibus ipsa regula confirmatur.

CONCLUSIO II. Eiusmodi regula in circumstantiis conclus. 1. expressis non solum licitè condi potest, sed etiam valdè ad bonum ipsius Religionis, & profectum spirituale subditorum conducit. Hanc etiam (saltem excepto Bañez, qui videtur sentire eiusmodi regulam minus expedire communitati) tenent omnes Auctores citati dub. 11. conclus. 1. & aperte patet ex dictis n. 177. 198. 202. 211. & c. ubi satis ostendit

Ecc 2 di

di ad cauenda plurima peccata, & ad conseruandam integritatem Religionis valde conducere vt omnia peccata, præsertim aliquo modo notabilia, Religiosorum deferatur ad Superiorem, vt ipse paterno affectu prospiciat infirmitati peccantium, ac peccandi occasiones tollat, & vt subditi hac ratione tanquam quodam fratre à peccando auocentur. Nec hoc magis durum debet videri iis, quorum peccata ad Superiorem deferuntur, quam perpetuò seruare castitatem, paupertatem & obedientiam & strictum disciplinæ rigorem; quæ tamē omnes Catholici docent ad profectum in spiritu valde conducere, ideoque laudabiliter in Religione voueri ac præcipi. Quæ non ita dico, quali sine eiusmodi regula nequeat Religio eiusue disciplina consistere; hoc enim verum non est; sed quia illa ad hæc promouenda multum conducit. Vnde etiam tam Prædicatores quam Minoritæ saltem in quibusdam casibus eiusmodi regulam condiderunt: vt ostendit n. 214. 215. & 218.

Dixi in priore concl. saltem quando subditi in dictam regulam consentiunt, &c. Quia an talis regula possit imponi nullo modo consentientibus, disputari posset; & id multi negant (quos Lorca Lorca, supra malè citat contra nostram priorem conclusionem; nam ipsi nullo modo loquuntur de casu illius conclusionis) multi tamen id etiam asserunt, quos citauimus supra n. 173. Et valde huic opinioni fauent allata hoc dubio pro secunda sententia, præsertim dñæ illæ regulæ, & decretum Capituli generalis, allatum n. 218. nisi dicamus hæc non obligasse nisi post promulgationem ab omnibus qui tunc erant de facto in iis Religionibus professi, fuerint acceptata, vt ipsi possint ea ratione censeri ex ea parte suo iure cessisse. De iis autem qui postea admissi sunt, facilior est ratio, cum illi sponte admissi sint in Religionem in qua sciebant eiusmodi regulas esse. Sed siue hac ratione, siue alia illæ regulæ conditæ sint, nullo modo possum dubitare quin iustissime conditæ sint.

DISPUTATIO XXIX.

De odio Dei ac proximi.

D. Thom.



Vm D. Thomas in 2. 2. qu. 23. & seqq. explicuisset naturam caritatis, eiusque effectus, qu. 34. & seqq. disputat de diuersis vitiis caritatis eiusque effectibus repugnantibus: scilicet de odio, acedia, inuidia, discordia, schismate, & ratione horum de bello, rixa, seditione & scandalo. de quibus hincetiam sequentibus disputationibus agam.

D V B I U M I.

Quomodo distinguantur odium inimicitia, & odium abominationis?

I
Caetan.
Vasquez.
Salus
Turrian.
Odium aliud
inimicitia, &
aliud abomi-
nationis.

2
Caetan.
Odium ini-
micitiæ op-
ponitur a-
mori bene-
uolentiæ, al-
terum amori
concupiscen-
tiæ.
Prius fertur
in solas per-
sonas, alteru
etiam in res.

NOta Caet. 1. 2. qu. 29. a. 1. & cum eo Vasquez 1. p. disp. 84. cap. 3. Salas 1. 2. tract. 9. disp. 3. sect. 2. & Turrianus 2. 2. disp. 88. dub. 1. diuidere odium in odium inimicitia, & odium abominationis. Quæ diuisio ab omnibus suscipitur, est tamen difficultas quomodo hæc inter se distinguantur, & in quo vtriusque ratio consistat.

Quam difficultatem vt explicet Caeteranus supra, docet Primò, odium inimicitia opponi propriè & directè amori amicitiæ siue beneuolentiæ, quo alicui volumus bonum, quia ipsi bonum est, & odium abominationis opponi directè amori concupiscentiæ, quo aliquod bonum nobis aut alteri optamus. Vnde infert odiū inimicitia respicere siue ferri propriè in personas, quibus aliquod malum volumus: odium verò abominationis ferri directè in res aliquas quas odimus. Deinde inferius sibi obiicit odiū abominationis quandoque in personas ferri: & responder hoc ferri in personas non qua tales, sed quatenus quædam res sunt.

Docet Secundò, vtrumque odium in modo tendendi in sua objecta tam inter se, quam et-

iam ab vtroque dicto amore multum differre. Nam vterque amor fertur in sua objecta, scilicet tam in personam cui bonum appetitur, quam in bonum appetitum per modum prosecutionis: vtraque enim hæc verè amamus. Odium verò inimicitia fertur in personam per modum fugæ, hanc auerlando; in ipsius autem malum per modum prosecutionis, quia optat hoc esse vt illi malè sit. Contra odium abominationis fertur in malum hoc fugiendo, & optando id non esse: in personam verò, cuius malum detestamur, ferimur per prosecutionem siue eam amando; nam amare alicuius bonum & auerfari eius malum quia ei malum est, ex eodem ipsius personæ amore proueniunt.

Sed hæc nec omnia generatim vera sunt, vt ex dicendis patebit, nec sufficienter vtriusque odij naturam ac differentiam explicant. Hinc quidam dictis principiis nimium inherentes ex iis quædam minus probabilia inferunt. Primò enim inde deducunt omnem volitionem, qua volumus alicui malum quia ei malum est, esse odium inimicitia respectu illius cui illud malum volumus. Secundò, iudicem decernentem reo iustam pœnam hunc odisse odio inimicitia; quia vult ei aliquod malum, v.g. mortem, quatenus habet rationem pœnæ, & consequenter quatenus patienti mala est; quia de ratione pœnæ, qua talis, est quoddam mala patienti; quare qui vult alicui aliquid, quatenus habet rationem pœnæ, vult hoc quatenus ei malum est. Tertiò, Deum peccatores verò & propriè dicto odio inimicitia odisse: quia vult eis damnationem, quatenus habet rationem pœnæ, & consequenter quatenus iis mala est.

Sed hæc apertè repugnant D. Thomæ lib. 4. contra Gentes cap. 96. vbi ex professò docet, Deum nullam creaturam odisse odio propriè dicto